Kassai királyi jogakademia
Könyvtára
Szekrény szám XVI
Osztályzat f.

517

Fragmenta

XVII. g

951

Fragmenta

Rev. 1088

Okresná knižnica Košice

Prír. č. 12848/964

Sign. Rz-636-mel

Kč 180.—

Odb. zn.

943.9

K

Rev. 77

[illegible] Gilowsky
[illegible] – fragmenta
[illegible] – [illegible]

FRAGMENTA UNGARICÆ HISTORIÆ

AD ANNUM CHRISTI M. DC. LXIV.

LAUREATIS HONORIBUS
Perillustrium, ac Eruditorum
DOMINORUM DOMINORUM,
Dum
In Alma Episcopali Societ. Jesu
Universitate Cassoviensi
PROMOTORE:
R. P. PAULO HICSOLDT,
è Soc. Jesu, AA. LL. & Philos.
Doctore, ejusdémque Professore emerito, nec non Facultatis Philosophicæ p. t.
SENIORE,
Supremâ AA. LL. & Philosophiæ
Laureâ ornarentur,
A NEO-MAGISTRIS CONDISCIPULIS
Dicata.
Anno M. DCC. XXXIX. Mense Junio
Die

CASSOVIÆ,
Typis Academicis Societ. JESU.

PERILLUSTRIBUS
AC
ERUDITIS
DOMINIS DOMINIS;

PEILLUSTRI DOMINO,

FRANCISCO
FERINGER,

Ungaro Neosoliensi ex Comitatu Zoliensi.

PERILLUSTRI DOMINO,

PAULO
JABROCKI de JABROD,

Ungaro Nagy-Idensi, ex Comitatu Aba-Ujvariensi.

H.K.RECHTSAKAD.
BIBLIOTHEK
IN KASCHAU

PERILLUSTRES
D. D.
NEO-DOCTORES.

Postquam feliciter triennales in Palladio superâstis labores, supremos Vobis *in Philosophia honores gratulaturi adsumus* PP. DD. Neo-Doctores Condiscipuli. *Et verò vendicant sibi hoc gratitudinis debitum egregia naturæ, virtutisque* Vestræ *decora, quæ ut suam tenerioribus hisce in annis habent admirationem, ità togata in ætate laudem consecutura sunt singularem. Meretur id gravis illa totius corporis compositio, quâ adeo omnium impletis animos, ut quàm molestas* Vobis *laudes virtus* Vestra *facit, tam eas aliis ad majorem nominis* Vestri *famam reddat haud necessarias. Meretur (& sinè fuco) hoc genus officii candida illa vi-*

tæ Vestræ, *morúmque integritas, ut nihil unquam in* Vobis *occurrerit, vel oculatissimo cuique, quod (ùt in plerisque fieri amat) aut condonaret ætati, aut imputaret fortunæ, aut cæteris naturæ dotibus, animique virtutibus, quæ sanè ad protegenda nobili in Adolescente vitia satis esse videntur, vel defenderet, vel excusaret. Denique perspicax illa mentis* Vestræ *solertia, ac præprimis studiis in omnibus constantia, quâ nobiscum ad doctum usque sudorem decertâstis, difficultates omnes non tam subiistis, quàm fortes, & impavidi superâstis. Universa hæc absque assentationis nota de* Vobis *prædicari fatentur Viri gravissimi, qui semper ingenii, judiciique* Vestri *vim suspexêre, atque ætate majorem commendavêre; utpote quibus voluptas præcipua, mentis disciplina, otium à laboribus morum institutio esse consueverat: cùm præsertim plura id genus de* Vobis, *ac longè majora, & intelligere possit, quicunque laudaverit. Porro, ut honoribus* Vestris *litaremus copiosiùs, ejusdem ipsius, quam anno superiore de-*

de-

deramus, continuata Historiæ Fragmenta nomini Vestro *inscribimus, munus ut non ignotum, ità fortasse ingenio* Vestro *non ingratum; sinceri cerè erga* Vos *amoris nostri monumentum: quod benignô utique,* Vobisque *innatô suscipietis animô, non priùs, quàm totum seduli pervolveritis, manu dimissuri. Verùm quando nos quoque in hujusce honoris* Vestri *partem vocamur, quando in* Vestra *decora, omnis nostra, quanta quanta est, desudat industria, probate* Vos, *sed maximè difficillimis his in rebus, Patriæ* Vestræ, *quanti sitis: sperare quidem indubiè fas est, futurum aliquando, ut conceptam de* Vobis *expectationem facta* Vestra *transcendant, eósque, quos nunc in Peripato Philosophos* Vos *dicitis, sapientes Reipublicæ exhibeatis. Vivite, & favete*

Honoris Vestri

Studiosissimis

PHILOSOPHIS CON-
DISCIPULIS.

D. O. M. A.

Sub Amplissimo, ac Reverendo Patre

JOANNE KORNELI,

è Societate JESU, AA. LL. & Philosophiæ, nec non SS. Theologiæ Doctore, Almæ & Episcopalis Universitatis Cassoviensis

CANCELLARIO.

Per quem

Perillustres, Reverendi, Prænobiles, Nobiles, ac tam Eruditione, quàm Virtute conspicui D. D. AA. LL. & Philosophiæ

BACCALAUREI,

In Aula Universitatis Cassoviensis Soc. JESU ad supremam in Philosophia Lauream consequendam licentiâ donati sunt.

Annô reparatæ Salutis M. DCC. XXXIX.

Mense Junio Die Horâ octavâ ante-meridianâ sub pulsu Campanæ majoris.

DEINDE PROMOTORE

R. P. PAULO HICSOLDT,

è Societate JESU, AA. LL. & Philos. Doctore, Ejusdémque Professore Emerito, nec non Facultatis Philosophicæ p. t. Seniore, Suprema Philosophici Doctoratûs Laureâ

CONDECORATI SUNT.

NOMINA
D.D. NEO-DOCTORUM.

1. D. FRANCISCUS FERINGER, Perillustris Ungarus Neosoliensis, ex Comitatu Zoliensi. *Defendit Universam.*

R. D. MARTINUS KIVALA, Nobilis Ungarus Mezökövesdiensis, ex Comitatu Borsodiensi, Seminarij Kisdiani S. L. R. H. Alumnus Diæcesis Varadiensis. *Defendit Universam.*

D. PAULUS JABROCZKI de Jabrod, Perillustris Ungarus Nagy-Idensis, ex Comitatu Aba-Ujvariensi. *Defendit Universam.*

2. D. GEORGIUS KORCSEK, Nob. Ungar. Bittesensis, ex Comitatu Trenchiniensi. *Defendit Univ.*

R. D. JOANNES TOROK, Nob. Ung. Fén-Szarusiensis, ex Districtu Jazigum, Sem. Kisd. S. L. R. H. Alumnus Diæcesis Agriensis. *Defendit Universam.*

D. JOSEPHUS NIMONT, Moravus Trisiensis, ex Districtu Iglaviensi. *Def. Univ.*

D. AN-

3. D. ANDREAS SORGER, Nobil. Ungar. Bodoloviensis, ex Comit. Aba-Ujvariensi. *Defendit Univ.*
D. MICHAEL GAZIK, Civis Ung. Szakolczensis ex Comitatu Nitriensi. *Defendit Universam.*

4. D. SIMON GORLICZKI, Ung. Radacsiensis ex Comit. Sáarosiensi.

5. D. BENEDICTUS BORBELI, Nob. Ungar. Nagykőrüiensis ex Comitatu Hevesiensi. *Defendit Univer.*

D. JOANNES HLADICS, Ungarus Krasznahorkensis, ex Comitatu Gőmőriensi. *Defendit Universam.*

D. LAURENTIUS CSAJA, Ung. Zubriczensis, ex Comitatu Arvensi.

Problemata in actu decisa.

I. Utrum Reipublicæ felicitatem plus promoveat consummata virorum sapientia, an sapiens Institutio Juventutis.

II. An res familiaris & Oeconomia melius per substitutum, an per Ipsum Possessorem ut incrementum sumat administretur?

FRAG-

FRAGMENTA UNGARICÆ HISTORIÆ

A D Annum Christi M. DC. LXIV.

DUo istius anni principiô permolesta evenêre: alterum nobis, alterum hostibus. Post perfidè ejectos nuper Székelhidâ Præfectos, in præsentia perduelles præsidiarii se in fidem, castrum in manus Apaffii tradunt. Neque hic clades finiit. Irritata in finibus Hungariæ seditio stipendiorum dilata solutione pervadit impetu Transylvanicas stationes mœrentium retineri pariter longiore debitam tempore mercedem. Claudiopolitanam,

Perduelles Præsidiarii se cum Szikelhida in fidem Apaffii tradunt.

Sequuntur exemplum Germani per Transylvaniam.

Szamosujvarinensem, Bethleniam, aliásque plures urbes, arcésq; uno consensu ad Transylvani imperium secum adjungunt. Egregiè sceleratis Claudiopoli proditio modicũ crimen visa est. In Præfectum Comitem de Thun, flagitium militum aversantem, sævitiâ, atque ignominiâ intendendum arbitrantur. Memor decoris, ac fidei, eóque perversis conatibus obviàm ire satagens furentium iram in se concivit, quam ubi authoritate comprimi posse spes non erat, ut morâ mitescat, secessit in sacellum Soc. J. quod unicum Romanis patebat. Exinde haud diu pòst protractus virgis cæditur, & urbe proturbatur. Equites quadringenti, pedites altero tanto plures censebantur, qui isthic ad novi heri nutum se subjecerunt. Is per-

fidi-

fidiam ultra debita militaria æra, ac veſtes, quaternis, vel, quod alii memorant, quinque, ac denis imperialibus in ſingulos diſtributis eſt remuneratus, habuitq; deinceps pace æquè ac bellô ſexies mille Germanos in ſtipendiis. Tot munitionum, militúmque jactura, & ad hoſtes acceſſio, uti Turcis pergrata, ità Chriſtianis non potuit non eſſe moleſtiſſima.

Nicolai Zrinii expeditio in Sclavoniâ.

Ex adverſo decreta in ſanctiore Cæſaris conſilio Eſzekum expeditio illis exitiabilis, his ſalutaris extitit, & depreſſos ſuperioris anni calamitatibus animos in ſpem magnarum rerum erexit. Plurium fuit opinio, Kaniſam primo Vere tenſtari, atque etiam ſubigi, quin & Ungariam Sclavoniæ, Styriæque finitimam in annum ſecuram hoſtium reddi

posse, si omnis circum Kanisam tractus exinaniatur, & famigerati ad Eszekum pontes corrumpantur; quòd iis duntaxat Turcarum furori pateret, nec ante evolutum annum reponi possent; certè destinata Ungariæ auxilia ex omni Europa priùs conventura existimarentur, quàm reponentur. Volens ad arduam hanc rem judiciô Cæsaris est delectus ante cæteros Nicolaus Zrinius cum Hochenlojo, quòd viri solertia expediendi quævis negotia, & felicitas profligandi Turcas coi stantibus ad eum diem experimentis cognita nihil non polliceretur. Habuit sub signis Ungarorum, & Croatarum dena, Bavarorum terna, Cæsareorum aliquot millia. Adjunctis ad hos ab Hochenlojo Imperialibus, decimô tertiô Calendas Februarias pro-

pe

pe Neo-Zrinium in hoſtico metantur omnes. Secundis caſtris inde Ungari, & Croatæ cum Ducibus, quamvis Hochenlojus ex morbo langveret, Battyanius Kiskomaromiô equitum, peditúmque copias trahens, Germani poſtridie in conſpectum Berſzeniczæ veniunt, univerſim vicies quinquies mille. Ut geminos pro tormentis ſuggeſtus attolli, quæque ad faciendam impreſſionem poſt ſtratum murum neceſſaria erant, Turcæ compatata ſenſerunt, ſuper deditione colloqvium cum Kisforgacſio petiêre. Conventum, ut cum certo equorum numero, ac ſupellectili demigrent. Octingenti triginta ſeptem, & in his armati quadringenti, Tartari centum numerati ſunt. Dum excedunt, exercitus ſcelere viliſſimi hominis

Deditione occupat Berſzeniczã.

præſens capitis diſcrimen adiit. Nam Zrinium violentas voionum manus in Tartaros ruentium, verbis, ac verberibus cohibentem Zingarus acinace aggreſſus oppreſſurus erat, nisì poſt reſectam è veſte nîl hoſtile metuentis partem, ferrum rurſus attollentem conſpicatus Hochenloji armiger glande è veſtigio necaviſſet. Paucorum adversùs publicam fidem per hunc tumultum cædes reliquis profuit, ut plures, quàm indulti eſſent, equos auferrent. Victô locô Brunſvicenſis Protribunus de Rolli impoſitus eſt cum quadringentis partim Ungaris, partim Germanis.

Zrinius vitæ periculum adit.

Vix albeſcente poſtera luce legatus Magiſtri equitum Sárkány bis mille pedites, paulò pauciores equites Babocſam duxit, quibus ſuccedentium meridiana luce reliquorum aſpe-

Babocſam deditam manu præſidiô.

ſpectus valuit ad extorquendam illico deditionem. Tartari plerique, quibus neſcio, timoribus impleti, primis tenebris, ſuperatô murô, & foſsâ, libertatem quæſierunt, paucis eo nomine vincula injecta. Sinè armis, atque impedimentis mille ſeptuaginta duo gregarii; undeni Agæ ad deſertam arcem Barcs, dein Berſzeniczenſibus juncti, ultra fluvium Traa, in ſolum Turcici juris cum cuſtodia emiſſi ſunt. Cuſtodes, cùm arcem Barcs ſuppoſito igne inutilem reddidiſſent, octo tormenta Baboeſam retraxerunt, quæ in annum jam nonum ſupra centeſimum barbaris ſervierat. Cùm Baboeſæ, tum Berſzeniczæ cibariorum, & commeatûs bellici haud parùm repertum.

Hinc mille equitibus iter ultrà promoventibus occurre-

Fugat Szigethanos.

runt infestis armis Szigethani, sed Zrinium cum Ungaris accelerantem conspicati, vacuatô geminô oppidô, in totidem arces refugêre. Tartari neq; his fidunt. Eszekum festinantibus nostri instantes duo vexilla, & quadraginta capita ademerunt. Illic Germano equite, ad distinendos pannico terrore Szigethanos subsistente tantisper, exercitus ad arcem Torpecs castra posuit. Dum stetit, Solimanni inter expugnandum Szigethum eo loci fato, & conditis corde, ac visceribus, exædificatóque propterea claustrô Poparum, erat memorabilis, nunc vacua, & fortuitò accensa. Zrinius inde Quinque-Ecclesias tenuit. Venientem depactis pro muro candidis vexillis, & inde confidentiorem ab oppido, & arce prorumpentes omni telorum

Quinque-Ecclesias appellit.

lorum genere excipiunt. Verùm irruentium facilè repreſſo impetu & oppidum, & arcem concluſit, ne qua rima ad nocendum Chriſtianis, pateret. Ferreæ, ùt vocant, portæ oppoſitis Bavaris Buchardum præfecit. Ad eam partem, quæ montes aſpicit, Moguntinos, & Colonienſes pedites, ſuos Legradinenſes, & duas turmas, Bavarorum alteram, Picolominii alteram, ipſe regebat, adjuvantibus Comite Waldek, & Tribuno Lajen. In ſuburbio primùm occupato Monaſterienſibus, Bremenſibus, Virtembergicis, & Haſſicis cohortibus, quaternis Picolominii, & binis aliis centuriis Generalis vigiliarum Præfectus Baro Hemerlinck præerat. Decem Ungaricæ Sárkányii turmæ in Sikloſienſi locum cepêre. Neoburgicus,

Luneburgicus, Bremenſis, Virtembergicus equitatus Generali vigiliarum Præfecto Babacs obtemperans Szigethanum obſervabat. Quà facilior eruptio hoſtibus, Battyanius ſe, & equitum, peditúmque Ungaras legiones objiciebat. Nocte attributa agminibus peditum tormenta quatiebant muros, & cætera ſic compoſita ſunt, ut ante auroram injectâ oppido ignitâ ollâ, diſplosíſque tribus tormentis, pars ſcalis humiliores muros tranſcenderet, pars revulſis alibi palis irrueret, pars aciem Tribunô Rauchhauptiô ante oppidum explicaret, prohibitura, ſiquid extus in obſeſſores attentaretur. Velut deſtinaverant, res geſta eſt, & providentiam Ducum, conatúmque militum captæ manè Quinque-Eccleſiæ commendârunt.

Et impetu ſubigit.

Re-

Repugnabatur nihilominus etiam tum ſtrenuè è vacuorum vicorum domibus, dum inde quoque pulſi in fuga ad arcem contrucidantur, vel capiuntur cum quatuor vexillis penè omnes. E noſtris pugnabant acerrimè miſti gregariis legionis inſtructor Joannes Chriſtophorus Lidericz, Magiſtri equitum Eineden, & Lier. Bambacſio ocream, ac femur glans perſtrinxit. Zrinius, & Hochenlojus omnium alacritatem imperiis ubique incitabant. Ut in opulento, ac frequenti mercatoribus oppido ſpolia miles opima legit. Novem fana plumbô tecta habebat, & commeatum ingentem, ſed maximam vini copiam, à quo geminum noſtris datum eſt damnum. Nam cùm ſub veſperam ad hauriendum largiùs feſſus miles vertitur, mi-

nora circum castella metu deserta insidendi opportunitas est elapsa, & hostibus animos morâ ad defendenda resumentibus, mox è plerisque cùm gregariorum, tum Præfectorum somnô, vinóque sepultis, relictô ad nocturnas excubias cum mille ampliùs Waldekô, plures nunquam deinceps evigilârunt, cœca pilarum emissione obsessis non solum aërem verberantibus. Duo subcenturiones, & Waldekus intrepidè pro aliis adiens discrimina, sauciati sunt. Clarus belli artibus Hemerlinch glande, Sichinus Moguntini Protribunus sagittâ, vel magis decimo die post acceptum vulnus frigoris acerbitate, & Comes Herberstainius Generalis vigiliarum Præfectus cum centum gregariis interiêre.

Pla-

Placuit altero die dividere copias, & labores. Itaque dum Hochenlojus vias obsidionales circum arcem molitur, ad Eszekinenses pontes, quò præcipuè expeditio spectabat, Zrinius duxit Ungaros, & mediam Germanici equitatûs partem, quæ Rauchhauptio parebat. Ne verò sociis alibi rem communem curantibus, Hochenloiani prædam, quæ ab arce sperabatur copiosior, præcipiant, cautum, ut post ductos aggeres, & fulmina in mœnia, nemo, quamvis aperirentur, ante reditum Zrinianorum ruinas subeat. Erit postmodum id materies querelarum adversùs Hungaros, quasi hæc prædæ invidentia arcis expugnationem intervertisset. Ubi secundo Calendas Februarias Siklosienses montes transcenderunt, &

Ducit Ungaros, & Germanos equites Dardam. Hochenlojus arcem oppugnat.

territi ſunt, & Poſeganum Paſſam cum mille quadringentis Tartaris terruerant. Nam hic opprimi potuit, ſi edita tormenti exploſione à Sikloſienſibus periculi commonitus Danubium celeriter non tranſmiſiſſet. Iſti pro Poſegano Vezirium ipſum cum validiore exercitu in propinquo adeſſe crediderant. Antequam ad pontes ventum, auditi ſunt Sikloſinô legati, fruſtrà rogantes, ne regioni, quæ uſui utriſque eſſet, vaſtitas inferatur.

Cæſis præſidiariis Dardam expugnat.

Præter excitata ex utroque latere minora Caſtella, & turres, majus, atque opere, & numerô præſidiariorum firmius, pontis caput defendebat. Darda ei nomen. Hinc priùs appulſis ter mille Croatis, bis mille dimachis certa pernicies incumbebat. Verùm ad inhibendam reliqui tempori adſuerunt.

runt. Qui ùt accurrerant, Calendis Februarii impetu ſubeunt muros, & præſidiarios (numerum ſexies milleſimum æquâſſe ferunt) occidione delent. Audita Dardenſium clades cæteros ex minoribus Caſtellis, ac turribus extemplo in fugam avertit. Ignis ſubinde pontibus ſuppoſitus eſt, à quo alendo nec advecta Eſzeko tormenta continenter fulminantia, nec plumbea grandinis nimbus à Dravo è duabus navibus incumbens abſtinere Zrinianos potuit. Vorax elementũ vento perfurente opus plurium annorum, & arbores grandi numerô ad interpolandum comportatas bidui ſpatiô abſumpſit. Solimannus perficiendum ſumma celeritate curaverat, propter reſtagnantes Dravi aquas, & terram perpetua uligine ſcatentem, tractu pro-

Famigeratos Eſzekinenſes pontes exurit.

profectioni militum in inferiorem Ungariam iniquissimo. Vicies quinquies mille operarum manus fatigavit. Supra octies mille passus porrigebatur, patebat septemdecim, ut quaterna plaustra pariter incedentia ferret. Lateribus adversùs fallentia vestigia longurias ubique prætenderant. Post decem dies, quàm cœptum, Solimanni exercitui statim laxis ordinibus incedenti æqum præbuit transitum. Sex dein subsequis annis crevit aliis identidem additamentis. Stetisse machinam porticui, ambulacróve amœniori, quàm ponti similiorem impensis trecentorum millium imperialium Author est Orthelius. A quibus extenuatur, & usque ad paludes in militarem viam accommodatas deprimitur, di-

dignam nihilominus magnitudine Solimanni agnoſcunt.

Redacto in cineres ponte, neque ſpes præterea rei bene gerendæ alliciebat ultro, neque aſperitas hyemis militem ſub aperto Cœlo patiebatur. Retro igitur cùm flexiſſent, moletrinis, villis, pagis, oppidis, pabulo, tota circum regione flammis, ferróque ex itinere corruptis, & ſubvectiones Kaniſam arctant, & militarem ab Eſzeko viam interſcindunt. Quinque-Eccleſiis haud perinde ex ſententia labor procedebat. Quinto Februarii, ad labrum quidem foſſæ commilites, at interfectum ſagittâ Monaſterienſium Protribunum Tellier, Hochenlojum in acceſſibus, & ſuggeſtibus frequentem ex vulnere trajectâ axillâ ægre ſpirantem, multos ægros, & ho-

Redit Quinque-Eccleſias.

hostes in defensione arcis pertinaces reperiunt. Quorum audacia tametsi domari posset constantiâ, frigori per exercitum magna cum strage sævienti cedendum fuit. Cum Ungaris de Labenek, cum Germanis peditibus de Hochstetten, hic Tribunus, ille Protribunus discedentium terga protegebant. In tendentes præter Szigethum, distributi in octodecim vexilla bis mille Turcæ, tanto sunt invecti periculosiùs, quòd vestium, armorúmque apparatus Ungarorum Battyanyii auspiciis militantium speciem oculis objiceret. Ubi inopinatus impetus, & paucorum cædes hostes retexit, fugêre in locum, cujus angustiæ conferri à pauculis arma patiebantur. Illic cadentibus utrinque aliquot, & inde quidem Berszeniczensium

Et deserit.

ſium nuper Præfecto, hinc Neoburgicorum equitum Magiſtro poſt ſuſcepta novem vulnera manu truncatô, & ejus Vicariô lanceâ transfixô, captiſque pluribus, nec vulgaribus Turcis, diremptam reperit Hochenlojus ſuppetias accurrens pugnam. Rauchhauptius, & Virtembergicus centurio de Eib averſos in fugam inſectabantur.

Quin undique ſtationibus Kaniſa jam clauſa teneretur, Szegeſtum ſuperabat occupandum. Huc decimâ Februarii poſt ordinatum Babocſæ civilem, ac militarem ſtatum Zrinius, altero pòſt die, velut inter inter Duces convenerat, cæteri pervenêre, conditis humi, qui ceciderant, noſtris, & depactis in ſepimentorum palis cæſorum hoſtium capitibus. Fulminantium in ſuccedentes ma-

Szegeſtum deditione acceptat, & præſidiariis firmat.

machinarum fragor alacritatem ad defensionem Szegesti prodebat sed quam species victoris exercitûs extinxit, statim ac perstrinxit oculos. Imperata, simul & facta est deditio. Retentô Præfectô cum sex præcipuis, excesserunt sinè armis quadraginta ea lege, ut vicenos ex Ungaris, totidem è Germanis captivos prece, aut pretiô in libertatem asserant. Pro quibus imposito è Kiskomaromiensibus præsidio, hinc Berszeniczâ, Babocsâ, & Szegestô, illinc Kiskomaromio, aliunde Eszterházianis, ac Battyanyianis turmis omnem latè regionem infestis armis percurrentibus, omnis Kanisam aditus est interclusus. Ad quæ transigenda Ducibus mense non integro opus fuit. In hac expeditione magnis laudibus per

Eu-

Europam celeb rata Zriniô Magiſtrô rudimentum militiæ poſuit Comes Adamus Czobor futurus in hoc ſtudio haud degener.

Victores Neo-Zriniam decimo ſexto Calendas Martii ad capiendam in hybernis quietem redière modicâ virorum jacturâ, ſed quam cumulatè ſarcirent, tametſi extitiſſet major, quàm plurimi à captivitate barbara vindicati. Adde everſas multas minores munitiones, ternas ad comprimendos Kaniſienſium furores præſidiô firmatas, mille ampliùs oppida, & pagos cum Quinque-Eccleſiis, municipio celebrioribus Germaniæ urbibus amplitudine conferendo ſecundùm direptionem igni concrematos. Adde illata hoſtibus damna, quibus nimirum adempta ſunt vicena boum millia tria

Ex hac expedîtione emolumenta.

tria equorum, quingentis pauciora ſpoliorum plauſtra, centum quinquaginta tormenta cum ingenti bellico apparatu. Quantam hanc exiſtimaret cladem Vezirius, argumento ſunt decreta in Præfectos ſupplicia, qui remiſſiùs, ac deſiderâſſet, ad cavendam contuliſſe operam Barbaro viſi. Quotquot quempiam locum dedidêre, vel defendi poſſe deſperantes deſeruêre, capite minuti. Szigethano, quòd otioſus Chriſtianorum iter ſpectâſſet, vivo cutis detracta. Ejus Centurio, atque alii reſti necati. Profugus ab Eſzekinenſi ponte, adactô per corpus palô, exſpiravit. Inter commoda inde enata fama erat, Germanicis armis, multiplici ſuperioris anni infortuniô, obſcuratis quæſita. Quæ ab univerſis quidem inſigniora inter

emo-

emolumenta censeri debet, sed ab iis præcipuè, qui infeliciter tentatâ posteà Kanisâ imminutam magis, atque alia detrimenta lamentantur. Verùm si cætera abessent omnia, maximi instar compendii æstimandum est, quòd destinata, uti certis Byzantiô nunciis confirmabatur, in Styriam, Tyrolim, Croatiam populatio sit hac anticipatione disturbata. Agnovit beneficium Styria, útque gratum Deo, à quo Ducum, militúmque ministerio collatum est, exhiberet animum Græcensium pietas, Virgine MARIA in Tutelarem lecta, summa Cæsaris approbatione supplicationem solenni pompa edixit, & suos omnes totâ Provinciâ in perpetuum esu carnium, atque altera refectione ante sacratum ejus Conceptioni sinè macu-

Styri in gratiarum actionem ediscunt supplicationem, & voto jejunandi ante diem Conceptioni B. V. M. sacrum se obstringunt.

cula diem votô interdixit. Quis reliquæ Germaniæ sensus fuerit, testabantur eucharisticæ per præcipua ubique templa Hostiæ Exercituum Domino oblatæ inter edita omnis generis lætitiæ signa. Hac causâ omnium ordinum Ratisbonæ instituta est per compita comprecatio. In qua Leopoldus Cæsar, Trevirensis, ac Bavarus Electores, Spirensis, Argentinensis, Paterbornensis, Ratisbonensis, Fuldensis Principes, & Episcopi, Badenses Marchiones accensa funalia manu gerebant, ore laudes Deo immortali, gratésque pro victoria fundebant. Et hi, & reliqui ubiubi, ut adversùs inimicos sui populi, ac legis, Christiano exercitui constanter præstò esse dignetur, demissè efflagitabant.

Ratisbonæ Cæsar cum Principibus pariter publicam supplicationem instituit.

Ve-

Vehementer ad hæc infremuit Mahometes. Ex tot incendiis, inquiebat, non incalescit Vezirius? iret confestim imitatione Zrinii, duceret in Ungariam, everteret funditus Neozriniam, & Ungariâ, Croatiáq;, quanta est, temerarium hominem ad supplicia perquireret. Nullasdum Vezirius copias coëgerat, pœnas tamen, ni pareat, ad quas destinabatur Zrinius, sibi expendendas novit. Itaque aliquot agmina per Bosniam adproperare; si Neozrinii vi, aut fraude subigi queat, experiri; si neque vis, neque fraus procedant, stationibus cinctam tenere, séque, & exercitum propediem adfuturum expectare jubet. Sensit Petrus Zrinius Vezirii consilium. Neque Vezirius, neque alius quisquam sensit antè structas

Petrus Zrinius cædit Bosnenses

à Petro insidias, quàm in angustiis montis Moriak Bosnenses bis mille conciderentur, & pene totidem caperentur.

Quod lubet, quique sentiant de hac expeditione. Certè Zrinio, & suis, & Familiæ laudibus latè noto, celebritatem nominis immensùm auxit. Summus Pontifex Alexander VII. victoriam ei per literas honoris, ac benevolentiæ plenas gratulatus, Patrem Christianæ Reipublicæ nuncupavit. Moguntinus Elector Scanderbego æquavit. A Cæsare salutatus magnifica sacri Romani Imperii Principis appellatione, factorum gloriâ, & domesticis ornamentis contentus non admisit titulum tam splendidum. Miserat Ratisbonam spoliorum partem. Hæc inter occursantium, gratantiúmque omnis ordinis hòminum

Laudatur à Principibus Zrinius ob hanc expeditionem.

num plauſus ferebatur. Imperator oblatam gratô accepit animô. Principes, & Legati gaudiô geſtientes intuebantur.

Nè quam tot detrimentis efferati à propinquo Ujvarino plagam reponant, & Auſtriam, Moraviámve introrumpant barbari, Haiſterus excubabat diſpoſitis propter Vagum ſtationibus, Tyrnaviâ ſibi delectâ. Ut porrò cæptam victoriam perſequamur, atque abſolvamus hoc anno, de ratione belli mox à principio M. Leopoldus cum Principibus Ratisbonæ, Palatinus cum Proceribus Ungaris Trenchinii deliberationem inſtituunt. Acatholici Principes cauſam, cur Chriſtianorum Provinciæ Turcarum viribus ſint impares, referebant in imparia jura diverſis per eas ceremoniis Deum

De proſequendo bello deliberatio.

Acatholici hunc in finem libertatem sentiendi de rebus divinis, quod libet, contendunt perutilem.

colentium. Si Romanis, Calvinianis, & Lutheranis æqua ubique esset libertas, nunc discordes, eóque consentientibus vicinis obnoxias, florentes Cæsaris Provincias inter se illico conspiraturas, & quoad perstaret concordia, insuperabiles dictitabant fore. Permitteret subjectis populis promiscuum Religionis Romanæ, Calvinianæ, & Lutheranæ usum, aperiret omnibus sinè discrimine Templa, neque in deligendis ad forensia, & urbana munia, discretos sacris discerneret, grande inde momentum extiturum ad sustentandum bellum. Contrà sapiens, ac pius Imperator existimabat, distractis varietate opinionum de Divino cultu mentibus, frustrà sperari firmam voluntatum consensionem in curam Reipublicæ;

Infertur id M. Leopoldus.

et si

et ſi obtineretur, non juvandam de Cœlo, ſinè ope autem inde inutiles eſſe hominum conatus. Nam ubi in Divino cultu nihil certi præhabetur, ſed pro cujuſque arbitrio obvia quæque capeſſuntur, pleroſque perperam de Deo ſentire, & ſuperſtitione pro Religione officium ejus Majeſtati facere neceſſum eſt; quandoquidem de Deo, & officiis ei debitis, obnixis pugnantes cornibus ſententias amplectuntur. Hæc probantibus, aut non inhibentibus, cùm poſſunt, quamvis alioquin rectè de Divinis rebus ſentiant, proximorum ſalus non eſt curæ, nec Dei cauſa cordi; adeoque in fratres, & in Deum graviter peccant. Ea propter libertate credendi colligatos, eſſe Deo exoſos oportet omnes. At non is

erat Leopoldus, ut quantumcunque compendium Divinæ gratiæ præhaberet. Propter bellum nihil usquam Orthodoxis detractum, nihil Heterodoxis additum voluit. Et continuò piam hanc constantiam Deus remuneratus est flexis initiô Februarii Heterodoxorum æquè, ac Orthodoxorum Principum voluntatibus ad decernenda in subsidium Ungarici belli peditum quadraginta, equitum octo millia. In quo extundendo Comitiorum per Legatos consultationibus decem menses frustrà circumacti sunt. Quanquam Principes quoque dein præstiterint minùs, quàm promiserunt. Non temperârunt sibi tamen Acatholici, quin graviter à Leopoldo contenderent, ut suarum cerimoniarum consortes ab injuriis magi-

Decernuntur ab Imperii Principibus peditum 40. equitum octo millia.

giſtratuum vindicaret, & libertatem minimùm ſentiendi de rebus divinis, quod cuique libet, ne reſtringeret, ſi æquè ſectas omnes in Ungaria, & Auſtriacis provinciis fovendi animum non inducat.

Eodem loco, ac tempore Sophia Bathoria, ſequeſtro Emerico Kis, quem ejus conſcientiæ moderatorem olim diximus, inſtitit, ut ſeniori Georgio Rakoczio bona à Ferdinando III. cum poteſtate tranſmittendi ad poſteros addicta, Cæſar Franciſco filio, & Georgii nepoti beneficiaria eſſe jubeat, ac literas Ferdinandeæ voluntatis teſtes, ſuis innovet, atque conſtabiliat Regio jure. Ille omnia referens ad inſtans bellum, precibus quidem annuit; verùm ea cum conditione, ut Sophia bis mille levioris armatu-

Stabilitur donatio Ferdinandi III. & bis mille equites petuntur à Sophia Bathoria.

ræ equitibus suo ære conscriptis sesqui mense stipendia in castris repræsentet.

Literæ Palatini de prosequendo hoc bello ad Ungaros.

Quid ad parandam defensionem Ungari ordinârint, missæ à Palatino quaquaversùm litteræ docent hâc summâ: *Cum appetente Vere odiô Christianorum inflammatus, & sanguinis Ungarici sitiens hostis procul dubio erumpet, nobisque incumbet. Si celeritate vicerit, reliquiis Patriæ ultimum exitium impendebit. Ut id non contingat, coronati Regis paterna solicitudo numerô, & virtute bellatorum florentem exercitum quamprimum educet. Capite periclitaturi socordibus oculis supremum discrimen nè prospiciamus. Quin de nostra vigilantia ad propulsandum vicinis alacritatem ingeneramus? Id tempus, & res ipsa monet, leges Patriæ,*

& nu-

& nupera consultatio postulant. Nos tempestivè universos officii commonefacimus: Trenchiniensia statuta jussu Regiæ Majestatis publicamus: nè quid ex iis prætermittatur, Palatinali authoritate præcipimus. Quo onus militandi levius evadat, & labor imminuatur, liberum cuique erit pro se in castris equitem statuere. Ne verò plebs opprimatur, Ecclesiastici, Magnates, Nobiles, & alii ordines præterea facultatibus commensum, juxta Articulum quintum anni 1662. *armatorum numerum, quin quisquam desideretur, ad diem vigesimum octavum Martii in Trenchiniensi Provincia ad Raiczense oppidū sistant. Certos reddimus omnes, per quem ocasio rei bene gerendæ elabetur, è pœnis lege definitis ei nihil condonandum. Secus igitur ne feceritis.* Hæc epi-

ſtola Ungarico idiomate è Stubnienſibus aquis ad Tyrnavienſe Societatis JESU Collegium data eſt. Qua in re juvat advertere publica onera cum Societate JESU eſſe ab Ungaris accuratè diviſa, defenſionem tamen ejus contra innumeros adverſarios pauculis ex ordine profano fuiſſe cordi. Plerique potiùs Jeſuitis de palmaribus injuriis quiritantibus aures præbere, & quamvis enormiter violarentur, æquitatem Judicum implorantibus jus dicere detrectabant. Stare in judicio, velut ſacris, nefas, nullas leges, nullum jus patrocinari declamabant, quòd Acatholici nondum aſſenſiſſent, ut totum Societatis corpus inter Ungaros deſcribatur. Princeps in Ungaria ordo Eccleſiaſticorum Societatem popula-

Societati Jeſu quidam jus dicere abnuunt.

laris Cleri partem pridem pronunciârat: Mathias II. Regium jus in conferendis ei bonis perinde atque aliis lege ſtabiliêrat: prius Rudolphus, poſtea Ferdinandus II. ac III. invitatæ diverſis in locis ſedes, villas, Sacerdotia attribuerant. At hæc quibusdam tanti haud erant, ut natis in Ungaria, nobili genere pleriſque, Patria privilegia magis, quàm recenter è Beſſarabia appulſis prodeſſe agnoſcerent. Sed hanc temporum, an hominum? iniquitatem inſequentes anni magno fœnore emendabunt.

Cæduntur Turcæ ad Kremniczium.

Dum Rex in Germania, Pro-Rex domi in rem conſulunt, inter Ujvarinum, & Strigonium, iterúmque ad Kremniczium conſertis manibus ab Ungaris non modicum vulnus adverſis partibus inuritur. Iſthic

hic ex Italis, Germanis, & Ungaris in libertatem vindicati Calendis Februarii Vienam cum duobus camelis tenuêre.

Strigonium Illic Parkanensi Agæ, & ducentis sexaginta manipularibus capita, Agæ de monte S. Thomæ, duobus Odapassis, unô pluribus Sorpassis, & Spahiorum præcipuis, salvis capitibus libertas adempta. Functi officiô deducendi Cæsareum Cursorem redibant. Hinc Strigoniensis Begus vim, velut adversùs publicam fidem pace illatam, interpretabatur injuriam, & Comaromii acerbè questus abstractos in vincula repetebat. Buechaimius reposuit: num memoriâ exciderint calamitates ultra Vagum importatæ? cum vicinis tam noxiis pacem nunquam esse. Utcunque tamen res evenerit, si Moravos, Silesi-

os,

os, Ungaros in ſervitutem raptos reſtituerint, idem ſe haud cunctanter facturum.

Equidem polliceri id Strigonienſis nequiit. Quare tranſmiſſam ſilentiô injuriam attenti ad rem Comaromienſes interceptis aliquot curribus, cum vario commeatu, & ſponſa, Huſzaimo, Budæ Præfecto Ujvarini commoranti deſtinata, fugatiſque ſtipatoribus cumulant. Quibus viciſſim rupta glacie ſub onere ægre prædam promoventibus accurrens ſponſus malè mulctatis, pro ſponſa Comaromium tempori inducta fruſtrà non contemnendam pecuniæ ſummam offert. Nam Chriſtiana genere noſtrorum Sacrorum deſiderium præſetulit. Quanquam non animô, ſed metu promeriti ob deſerta ſupplicii id egiſſe ſatis prodebant

Ujvarinû captâ Præfecti Budenſis ſponſâ.

incondita lamenta, quòd lautô matrimoniô, adeoque fortunâ, qualem inter Christianos desperaret, subitò evoluta esset. Uti futuram primi inter Præfectos Urbium conjugem decebat, argentô, aurô, ac gemmis, & exquisiti operis laneis, lineisque vestibus ornabatur. Faciem largè illusam aurum commendavit, seu quod nativâ destitueretur gratiâ, seu quia nativam Turcæ posthabent adsciticiæ. Digitorum extrema, & crines, ferè quemadmodum in jubis equorum interdum spectamus, rubeus tingebat color. Mense Aprili quoque à destinatis Albæ-Regalis nuptiarum hilariis & sponsum, & sponsam ex itinere ad ergastuli ærumnas retraxêre comociati Jaurinensibus P penses, & Veszprimienses. Reliqua præda nobiles

Et Albam-Regalem captò sponsô cum sponsa.

les ſponſos æquavit. E comitatu (frequentem nupturientium dignitas coegerat) ſeptem ac decem cecidêre. Poſt longam eminus obſidionem famē metuebant Kaniſienſes. Idcirco in tempore eluſis Babocſenſibus, Berſzeniczenſibus, & Szegeſztienſibus, malo ire obviàm deſtinabant. Sed vigilantiam Kiskomaromiô identidem ductu, vel juſſu Comitis Pauli Eſzterhazii procurrentium neutiquam fefellêre. Ab his uſque ad duos neci dati, quotquot Dravô vectum commeatum tutabantur. Eapropter non ampliùs, quàm in menſem Kaniſienſibus annona ſuppetebat. Zrinius inſuper origine Chriſtianum loci Præfectum permoverat, ut ſimulata aliquantiſper defenſione noſtris ſe cum præſidio permittat. Sinè exemplo in eum

Commeatus Kaniſienſium interciptur.

eum diem Turcas inter id contigit. Ideo apud paucos fidem reperit.

Secundò periclitatur vitâ Zrinius.

Zrinius interea secundò vitâ periclitatus est. Cum tribus duntaxat (alii cum quinque, ac denis, iisque Tribunis scribunt) comitibus propiùs exploranti, quô locô, oppugnaturi Kanisam commodiùs castra ponerent, occultati sylvis Turcæ reditum intercluserant, tantâ fiduciâ capiendi, ut sericum funem adferrent ad vinciendum, an ad strangulandum? sed sua fortuna, virtus, & pernix eqvus circumvento à quingentis saluti fuerunt, insidiæ authoribus malè verterunt. Sublato enim repentè clamore exciti, & suppetias Hero, receptum pugnæ miscenti, accurrentes, à quibus procul secesserat, trecenti, partim necârunt, partim

tim vinctos Neo-zrinium insidiatores abripuerunt. Sericus funis valuit ad constringendum, à quo allatus. Loricam induerat nullis impetentium ictibus pertundendam, gnarus rarum hostem sinè luculenta plaga cominus spectatum à Zrinio. Pro prœmio, quod à Vezirio in caput Zrinii maximum est propositum, miser cum cæteris in carcerem retruditur.

His transactis non negligenda videbatur esse oblata opportunitas tentandi Kanisam. Stiri molestâ Turcarum viciniâ liberari cupidi facilè ierunt in eam sententiam, & tormenta, annonam, ac bellicum apparatum largè ad opus addixerunt. Post longam Ducum contrariis rationibus ea de re disceptationem, quid quique, & quas ob causas sentirent, Ra-

Decernitur oppugnatio Kanisæ.

Ratisbonam ad Imperatorem transmittunt. Apud quem tanti ponderis erat Nicolai consilium, ut æstimatis variantibus sententiis cum eo sentiret. Postquam viri solertiam, fortitudinem, felicitatémque copiosè per literas collaudâsset, ut ad rem aggrediatur initiô Aprilis, monet. Nè verò obsidioni intercedant, qui Kanisiensibus opitulari possent, Souchesius inprimis Trenchinium, quò Viennâ bellicus apparatus jam præcesserat, inde Nitriam, vel Levam lectos à Silesiæ ordinibus bis mille equites, sex mille pedites, cum adjunctis Ungarorum, & Germanorum copiis, præsidio montanarum anno priore attributis, ducere statim jubetur. Priùs Comes Strasoldo in Belgium abierat ad conducendum sexies mille florenis bel-

Souchesius ducit Nitriam.

Comes Strasoldo conquirit machinatores.

bellicos machinatores. Alius denique Temesvarini Gubernator, sextò ad octogesimum ætatis annò vivis excessit. Erat vir consiliò, & manu promptus, eóque magna pars belli. Quanto Sultanni, & Purpuratorum luctu, tantò Christianorum allevamentò justaBarbaro persoluta sunt.

Moritur Alius Temesvarinæ Præfectus.

Ergo tot adminiculorum fiduciâ, quam Cæsari approbaverant, maturata est à Zrinio, & Hochenlojo Kanisam expeditio, coacto ex Ungaris, Croatis, & Imperialibus exercitu quinque, & viginti millium. Nè cùm ineunte Aprili susciperetur, velut comendârat Cæsar, quinto Calendas Maji ante Neo-zriniam primùm cum suis Hochenlojus adfuit, & mox ad inspiciendam per se Kanisam, quatuor duntaxat milliaribus inde dis-

Copiæ Kanisam proficiscuntur.

si-

ſitam, ſecuturis præiit. Poſtero die mille pedites cum Haſſorum Tribuno Zobel, & tormenta propius conſpecta, hoſtes vallô poſt ſuccenſa tuguria exigunt. Major vis adhibenda fuit ad exturbandos ſuburbiô. De ſingulis caſis ſub veſperam cum Strozio pugnam redintegrant, poſtquam defendi non poterant, facibus injectis in proximas retrocedentes, quoad Hochenlojus cum trecentis peditibus, & quadringentis equitibus non advolaret. Hunc nè tanto quidem tempore ſuſtinuêre, quantùm ſatis ad inflammanda plura ſimul tecta, nè integra noſtris uſui ſuperſint. Verùm neque tunc ſibi deſuêre. Fulminabant contra aggerem portæ præſtructum, & adſitas tres domos continenter tormenta, ponè has tamen conſiſtunt,

Expugnant ſuburbium.

ſtunt, nec ante cedunt, quàm non pauciores ducentis Germani, altero tantò plures Ungari in ſubigendo ſuburbio emorerentur. Totus interea exercitus caſtro ab omni parte circumfuſus eſt. Dum vias obſidionales aperit, ſuggeſtus excitat, & murales machinas protrahit, octo dies in arce deponendis tectis impenſi: detecta Gubernatoris cum Zrinio conſpiratio, & capite vindicata: adſtrictus miles novô Sacramentô. Ad extremum lectus ſuffragiis novus Præfectus delatum regimen ſtatim ingeniô, præſidiarii mille quingenti novo ſub Duce militiam, patientiâ Chriſtianis imitandâ egregiè illuſtrant. Ne cibaria deſiderentur in adventum Vezirii cum valido exercitu, & frumenti copia, etiamſi non prius adeſ-

Solertia novi Præfecti.

ſet

ſet, quàm alter menſis exeat, effecturum ſe indubitanter convocatæ concioni pollicetur, dummodo milites amplectantur conſilium, quod Duci veniſſet in mentem. Gnari ſcrinia eſſe pene vacua, dudum interclusos commeantibus aditus, quid excogitâſſet cognoſcendi avidi, ſpondent nihil ſe prætermiſſuros, quidquid ſuggereret. Tum ille: ſi panis, orizæ, carnis dimidiô, quàm conſvêſſent, minùs unaquaque die ederent, edulia in menſem habentibus parata, in alterum equidem ſuffectura. Ea frugalitate magnam inituros apud Machometum gratiam; de Sultaño, déque Ottomanorum Imperio merituros quàm optimè. Vix finierat, cùm ſublatis vocibus, omnes pronis animis ad eam ſe abſtinentiam, pro incolumi-

Turcarum in commeatûs penuria, inſignis tolerantia.

mitate Reipublicæ, paſſuros damnari ſignificant.

Verùm ampliùs & ingeniô, & patientiâ juvabat hoſtem ſitus loci undique cincti paludibus, aut ſolo inſtabili, quod neque ligonem moliendis acceſſibus, neque ſubſtituta his ramalia, & fartos pro ſuggeſtibus terrâ ſaccos, ſi paulo graviores eſſent, ferret. Objecta verò levior materia militem tormentis, quin ſclopetis obnoxium non modicâ jacturâ faciebat. Duabus ex partibus arx impetebatur, hinc ab Hochenlojo, inde à Zrinio, palude invicem diviſis. Unde fiebat, ut collineantes in hoſtem, ſocios interdum ex adverſo pugnantes ſauciarent. Dum ex foſſa repugnantes infeſtantur, accidit, ut ex Hochenloianis centum occumberent, trecenti ex vulneribus

Difficultas oppugnationis.

bus ad militares labores redderentur inutiles. Contrà Zriniani à Battyanio, Eſzterhazio, & Jaurinenſium Epiſcopo receptis in caſtra recentibus auxiliis aucti ſunt. Quin pene in ſingulos dies ſubmiſſis aliis creſcebant, quanquam quibusdam identidem dilabentibus etiam imminuerentur. Nequedum tamen par cœpto operi bellatorum numerus coiit. Murales machinæ lentius agebantur è Stiria. Bellicæ penus minùs, quàm oporteret, ad manus erat. Frigus ſæviebat vehementer. Zrinius nihilominus Kaniſam pro deperata non habet. Quin caſuram propediem arbitratur, dummodo de ſtativis celeriter evocatus Montecuculi miles pars ad Eſzekum Vezirii iter morentur, pars oppugnantibus conſocientur, pars in omnem

omnem usum præstò haud procul Kanisa stent. Quare mox à Cæsare per epistolam emoveri legiones ex hybernis petit. Ut alacriore milite utatur, stipendiorum longa expectatione mœstiori plura de suo repræsentat. Cæsar, ut copiæ nullâ morâ Vezirio obviàm, atque Kanisam tendant, in mandatis dat.

Eruptiones Kanisiensium.

Dum hæc Leopoldus, & Nicolaus, Kanisienses ferociter, ac frequenter invehebantur in facientes opus. Primùm procurrentes septimo Calend. Majas, quòd animadverterent observari tentamẽ, referunt pedem, sed mutatô consiliô redeunt nullô tunc seu suô, seu nostrô malô. Aliquando altera parte cæsis aliquot ternos abstrahunt in arcem; altera multis suorum amissis reiciuntur. Pridie Idus Maji, & corrum-

pendis operibus, & post datum damnum retrocedendo feliciores fuêre. Decimus tertius Calendas Junias cum operibus supra vicenos passus expansis perdidisset Strozium, nisi ulteriori injuriæ ictum humero, & manu subtraxisset, quô ad auferenda imperia utebatur, Boek nomine. Præsentiore, atque graviore periculo felicius defunctus est Comes Paulus Eszterhazius. Imminenti grandi pilæ caput fortuitò subduxit; capitis tegmen, quin discerperetur, subducere nequiit. Fortuna nimirum ancillabatur virtuti Pauli, quinque & decem prœliis ante eum diem hostes patriæ profligavit. Tunc susceptum vulnus Protribunum Sparium deinde extinxit.

CC Paulus Eszterhazius & Protribunus Strozius præsenti mortis periculo feliciter defunguntur.

Sparius sauciatur, & moritur.

Tot inter difficultates sine requie insistebatur operi, & Hochen

Virtus cum exercitu adproperat.

chenlojus obsidionales accessus quinquaginta passibus promovit, jámq; ad labrum fossæ feliciter pervenerat, cum ecce! increbrescit rumor Vezirium, propositô Eszekinensibus capitis supplicio imperavisse, ut eversos pontes ad certum diem reponant: hos industriâ vicenorum, & quinque millium hominum restitutos esse spatiô sex hebdomadum: Vezirium cum quadraginta millibus, ac centum tormentis Kanisam magnis itineribus festinare. Quid rei subsit rumori, missi illico mille Germani, altero tanto plures Ungari cum Tribuno Rapach exploratores referunt à Kisfargacsio cum paucis prægresso Vezirium ad Szigethum pridie Calendas Junii esse conspectum. His causis Szegestum, Babocsa, Berszenicza de-

Occupatæ nuper arces à nostris deseruntur.

desperata defensione incensa â nostris deseruntur.

Ad Kanisam taciti secum expendebant, abrumpant, an prosequantur obsidionem. Ob interjectam geminis castris paludem neque Zriniani ab Hochenloianis, neque Hochenloiani à Zrinianis, si invaderentur, opem sperabant. Et si cùm hi, tum illi sinè sociorum auxilio pares essent aggressoribus, verebamur, nè Kanisam inter & Neo-zriniam, unde añona petebatur, positis ab hoste castris, intercluso commeatu hi, atque illi fame conficiantur.

Oppugnatio abrumpitur Zriniô invito.

Non Ducum, non gregariorum quenquam hæc fugiebant nemo tamen consilii, ut abrupta obsidione retrocedatur, author esse voluit, quod plerique salutare admodum, atque unicè è præsenti re sentiebant. Et tenuisset diutiùs si, len

lentium, nisi verecundiam proloquendi de necessitate discessûs adornata iterum eruptio exemisset. Destituri ab ea videri poterant, nostros ad repugnandum accinctos observantes; sed opportunius demũ arce egressi, ex appropinquationibus, quantum intervallo quatuor, ac decem dierum ægre restitueretur, demoliuntur. Tum in tutiora plerique, & palàm transferendum exercitum censuêre. Zrinius commissâ sæpenumero cum Turcis pugnâ imparibus non rarò viribus, locísque iniquis constanter in eum diem victor Vezirium etiamtum intra valla operiri præoptabat. Quin solos equites vicies mille, nè serus adsit opitulator, raptanti confidenter ut explicata acie occurratur, instabat. Strozius assentiebatur. Ubi inviti sententiâ ad voluntatem

tem aliorum temperârunt, hic, quid Vezirio esset consilii exploraturus propiùs hostem, reliqui Neo-zriniam iter intendunt, non sinè damno: Nam Strozius haud multùm progressus in mille Turcas incurrit, & pluribus è comitatu amissis pedem referre cogitur, dum superveniens Hochenlojus fugam sistit, atque in hostem convertit. His per fluxos Muræ pontes ægre impedimentorum, ac infirmorum currus molientibus, ad jacturam bellici instrumenti, cujus partem præ Kanisa reliquerant, haud modica supellex cæsis stipatoribus eripitur. Exin accepto rursus, & reddito damno in conspectu Neo-zriniæ cum præcursoribus velitatione depugnatum: castra medio inde milliario ab hoste posita: Ungari, atque Croatæ cum

Velitationes cum Turcis

Cæ-

Cæsareis Murâ ad Neo-zriniam, Dravo ad Legradum transmissis, in Zriniana insula constitêre. Ad tot incommoda ab iniquitate locorum, atque ab hostibus accessit gravius, & quod solum enervare florentem exercitum possit, animorum in milite, ac Ducibus alienatio à sociis jam oborta, vel confirmata, & retecta. Soli sterilitas, quod occupârant, & secuta inde pabuli penuria Imperiales in querelas adversum Ungaros alieno sanè tempore solvit. Se primos, se postremos, inquiebant, ubivis esse in opere: contrà fessis commeatum malignè præberi: stativa, spoliâque præripi: tot labores potuisse compensari Quinque-Ecclesiensis arcis opulentiâ, at dum Ungari Eszekiensem regionem dispoliant, & inexplebili cupiditate inhi-

Imperiales adversùs Ungaros querimonia.

antes alienæ prædæ ſocios conſcendere hoſtiles muros non patiuntur, & ſubigendi loci opportunitatem elapſam, & Kaniſienſes à dedecore Chriſtiani exercitûs, velut imparis expugnando minutiori caſtro, animatos ad repugnandum pertinaciùs. Ungaros proinde, quòd irriti ſpei Quinque-Eccleſiis ſimul & Kaniſa diſceſſerint, reos eſſe. Dum ſic ærumnas impatientiâ intendunt, Fajgeo caſtra hoſtium inſpicienti, & procellâ ſagittarum excepto, Neo-zrinia perfugium præbet.

Haud malò conſiliò Kaniſæ oppugnatio ſuſcepta.

Sic finiit Kaniſæ oppugnatio. Si ejus infelicitas glorioſam Zrinii indolem uſſit, famam, cùm recentibus iſtius, & alterius anni, tum veteribus totius vitæ victoriis totâ Europâ notiſſimo non eripuit. Neque enim timore perculſum acce-

accepta clades, ſed etiamtum ſpei plenum ſociorum hortamenta ab obſidione divulſerunt. Et quamvis muris, paludibúſque defenſum, contrà ac inſvevit, non proſtrârit hoſtem, ídque nonnullâ impenſarum, & militum jacturâ, ac fatigatione, obſidionalibus viis tamen per injectas faces magis, quàm obſidentibus per conſerta tela ab arce procurrentem expertus eſt noxium. Duces infeliciter collocatam operam Stiris imputabant, inſtrumenta bellica, annonam, & ſubſidia parciùs, tardiúſque, quàm addixerant, ſubmittentibus. Noſtra ætate quidam Zrinio tribuendam contendunt, quòd oppugnaturis ſacci pro obſidionalibus viis implendi terrâ, aliáque id genus ad manus non fuerint. Equidem harum rerum penuria

haud levis eſt culpa, ſed quam ſupremi Duces non præſtant; verum Præfectos minorum gentium arguit, quibus neceſſarii ad gerenda bella paratûs procuratio demandatur. Sic extra culpam erit Montecuculus non diu pòſt ad Sanctum Gothardum de ſalute plurium Provinciarum pugnaturus tam modico bellico pulvere, ut ſi paulò diutiùs extraheretur prælium, gladiis finiendum eſſet, permiſsâ hoſtibus victoriâ, quam ferreis fiſtulis pene abſolverant. Neque pravum erat conſilium aggrediendæ obſidionis tam arduæ. Tametſi enim traductum à Danubio ad finitimam Stiriæ partem bellum cum vicinarum Provinciarum periculo conjungeretur, & idcirco moleſtiùs accidiſſet, hanc incommoditatem ſuperavit inter-

terturbata irruptio in Stiriam, expeditione Eſzekinenſi propter Kaniſienſem ſuſcepta. Intellexerunt præterea finitimæ Provinciæ, quantò magis in interiore Ungaria bellum geritur, tantò propiùs cauſam Germaniæ agi, & ſubmiſſa eò auxilia non tam Ungarorum amori, quàm Germanorum ſecuritati impendi; hinc à ſtudioſis ſuarum rerum alacriùs, quàm anno ſuperiore, eſſe expedienda. Neque exploratum erat, num Vezirius aliò, quàm ad exſcindendam Neozriniam, ſuos raptaturus fuiſſet, ſi alibi bellum occæpiſſemus. Exſurgenti Neo-zriniæ interceſſerant Turcæ. Kaniſienſem Paſſam, quòd illato protinus bello à molienda Zrinium ad defendendas veteres arces non extraxerit, juſſu Kuperlii Vezirii laqueò ſuffo-

câsant. Stantem præsenti bello præcipuam prætexebant causam. Nisì humi deponatur, sermonem de induciis ad aures non admittebant. Ter tentatâ, nuper ter fœdè cæsi, utique iniquiore animo incolumem intuebantur. Ob hæc Vezirium irâ, dedecoréque accensum verosimile erat è propinquo ante alia ad confringendum hunc scopulum sponte moturum; quò insuper Germaniæ ad prædas patentis divitiæ, & acrior malorum è bello proseminandorum sensus alliciebant. Magnis angustiis annonæ (nam eâ causâ quoque reprehendebatur propositum Kanisæ invadendæ) non minùs ad Danubium, ac ad Stiriæ fines conflictaturos fuisse Christianos milites, docebat amica inter præsidia non procul Danubio extrema re-

rerum omnium inopia, dum ineunte Autumno ad Vagum copiæ accedent. Jam fortunam Neo-zriniæ percenseamus.

Posita, uti meminimus, præter Neo-zriniam castra, vallô incinxerant Turcæ: tum sublatos in opposito colle tres tormentarios suggestus quintâ Junii ductis per pratum geminis lineis, conjunxerant castris: unde collineatis protinus globis in assidentibus Dravo geminis domibus, quas communieramus, stationarii discerpebantur, & medio inter eas loco Janicsari terræ se infodiebant. Nostri interim Dravo pontem imponunt ad commercia cum Legradinensibus, & alteram Muræ ripam stationibus, prætentisque longè firmant loricis. Nam hæc depressior, plana, & nuda; ad-

Turcæ obsident Neo-zriniam.

versa eminentior, montosa, & sylvis vestita certis hostiú ictibus exercitum exponebat. Isthuc Hochenloji, & Sporkii consiliô exercitus est deportatus, Montecuculum cum reliquis copiis expectaturus. Zrinius collem ex adverso Neo-zriniæ lacunâ præcinctum, ex quo & se, & Neo-zriniam commodè tutarentur, insidendum arbitrabatur. Longiorem, quàm latiorem, Mura, & ignobilis rivus insulam non procul inde efficit. Hanc inflatis ovium, aliorúmq; animalium pellibus ad latera ratium alligatis, nè mergantur, adjuti penetrârunt Turcæ, eô utique consiliô, ut in majorem transgrediantur, unde in Vindorum Marchiam, Stiriámque aditus. Nemo non videbat, quanta iis provinciis pernicies crearetur, si eò loci se obvallarent. Quare mox

In Insulam penetrare laborant.

ad

ad retrudendos Quaſtius eximiæ virtutis Centurio cum centum ſclopetariis per aquam ingvinum tenus properat. Verum medio in flumine ferrearum glandium nimbô exceptus, multis aſſeclarum cadentibus, ipſe obtritô humerô ægre ſpirans, viam relegere cogitur. Felicior ſucceſſit Strozius. Nam cum triginta præfectorum, & quinq; ad vicenos equitum manu, trecentos inprimis vel cædit, vel inclinat, mox acerrimâ ſex horarum pugnâ cum ſexcentis Picolominii equitibus, & quingentis peditibus facilè tria millia (eò enim ſenſim increverant) contrucidat, necquidquam ex oppoſito colle fulminantibus bombardis. Capta ſunt terna vexilla, bina Bavari, tertium Haſſi honoris causâ retinuêre. Paſſas quin-

Sed cædunt-tur.

que

que cecidisse vox erat captivorum. Mura cadaveribus instrata, subtus sangvine tincta fluxit. Verùm Strozio hæc ipsa victoria exitio fuit. Nam dum solita comitate gratulatur comilitibus prælii fortunam, nominatimque collaudat plurium alacritatem, glande, hostium, an commilitonum solutô fortè sclopô, emissa, non liquebat, ictus equô proturbatur, paucas post horas demoriturus. Luxit Cæsar promptum animi, consiliique virum. Luxit miles præfervidum Ducem. Luxerunt gregarii in Duce Parentem ob singularem in quosvis charitatem. Graviùs jacturam senserunt calamitosi, qui variis in ærumnis beneficentiam Viri experiebantur. Quotquot à penu, coquina, medica Strozio erant, sauciorum cu-

Sternitur inopinatè Strozius.

curatores, medicósque se ferebant. Suprema quoque Protribuno Bavarorum, & Brunsvicensium subcenturioni ea pugna fuit. Hic prior in hostem ruens glande, ac iterum, iterúmque frameâ caput, & humerum saucius exspiravit. Zobelium postmodum cum quingentis Hassis, totidémque Cæsareis, nè transmissionem hostes retentent, Insulâ discurrentem globus in collo exceptus prostravit. *Et Zobelius*

Exin in altero Muræ litore liberô campô potiti tertiô Idus Junii novum tormentorum suggestum sustollunt, & duobus secutis viam propiùs Neozriniam promovent. In altero Imperiales, & Ungari cum Cæsareis, magis animis, quàm loci intervallô divisi, tendebant. Eorum dissensionem excepit Zrinii à Montecuculo

re-

Zrinius invadendos Turcas arbitratur. Montecuculus dissentit.

recèns adpulso alienatio. Ille eundum in hostem auctis tot Cæsareorum accessione prædicabat. Turcas pauciores esse, quàm fama circumferat: ægre triginta millia conficere: sic Remingerum, datis ex hostium castris clàm literis, quas prompsit, indubitanter asseverare: & si numerosiores forent, animis, robore, & virtute militari infra nostros esse. Huic probari generosum consilium principiô videbatur. Quin mox ac advenerint, quæ cum Badensi in propinquo nunciabantur, suppetiæ, aciem se explicaturum addixit. Postea cunctatus variis prætextibus, haud parùm stomachum movet Zrinio, quasi salutem Zriniæ pensi non haberet. Crevit dein cum hac suspicione majorem in modum indignatio. Novam, quæ ægrum

Id ægre fert Zrinius.

Crescit indignatio Zrinianis Neo zriniâ exemptis.

ægrum animum ſtimularet, injuriam Montecuculus obtulit, & hæc fuit. Croata Neo-zriniæ præerat. Hunc cum vicenis gregariis doliolum, & pilæ nitro fartæ temere ſuccenſæ ſexto Calendas Junias fœdè diſcerpſerant. Ab eo, atque ab Ungaris, & Croatis, paucíſque Germanis anno ſuperiore intra propugnacula ſemel, campo iterum, iterúmque ſingulari fortitudine, ac felicitate defenſa Neo-zrinia inclaruit. Inclaruerunt pariter propugnatores. Montecuculus tamen, cum confirmata à Cæſare in Auſtriacum militem ſuprema poteſtate adpulſus, non iis, ſed recenti quot diebus è caſtris militi defendendam credidit. Croatæ Præfecto nobilem Gallum ſubſtituit nomine Avan-

kur-

Vangurius Gallus suscipit defendendam Neo-zriniam.

kurcium, vel magis Vangurium. Sic enim à Gallis, contra quàm scribant, legentibus appellabatur. Altè pupugit ea res Zrinium. Cogitabat idcirco mox Viennam, cum Cæsare de sua, ac popularium injuria questurus. Jámque in viam se dederat, sed Csaktornyæ mutatô consiliô substitit. Vangurius, si quisquam alius bellicorum operum sciens eò præcellebat in exercitu, quòd seu extra, seu intra Europam bellum gereretur, militâsset ubique. Is ab adepta præfectura protinus ampliare fossas, stationes militum intus, ac extus ordínare, secundaria perfugia excitare, cuniculos appropinquationibus objicere. Nec segnior miles, ab arce, & exercitu in occupatos moliendis viis obsidionalibus procurrere: à mœ-

à mœnibus majores, minoréſque pilas collineare: eminus, cominus hoſtem morari, & ſternere. Decimô ſextô Calendas Julias Croatæ Ungaris miſti, atque à ruptis cuniculis adjuti, ab foſſa haud parùm removerunt accedentem, relatis tribus, & quadraginta capitibus, vexillô, & centum equis. Incitabant nimirum alacritatem confluentia identidem auxilia. Quippe cum Montecuculo advenerant Spikiani quingenti. Subſecutæ ſunt paulò pòſt legiones Montecuculi, Spork, Lakron, Schneidau &c. Comites Franciſcus Nadasdius, & Paulus Eſzterhazius mille ducentos pedites, ter mille quingentos equites ex Ungaris adduxerant. Battyaniani equites mille quadringenti, pedites ſexcenti ex eadem Gente, cæſis ex itinere ali-

Ab Ungaris, & Croatis cæduntur in appropinquationibus Turcæ.

Concurrunt in caſtra reliquæ copiæ.

aliquot centenis, captisque altero tanto pluribus cum septem camelis, mulisque castra recreârunt. Petriniæ præsidiarii Petrum Zrinium, & quater mille, quibuscum sæpius vicerat, succedentem comitabantur. Kussenicsius gestis Germanicô bellô rebus claram Croatarum legionem secum stitit. Tot hospitibus martiale spectaculum de se, atque de hostibus adornant bis mille Germani cum quingentis Ungaris, & exhibuissent haud injucundum, si destinatam eruptionem instabile è nocturna pluvia solum, retectúmque à transfuga è vigiliis consilium non impediisset.

Impetum faciunt Turcæ in Neo zriniam sed plures cæduntur.

Nec ideo Turcæ animos, ferociámq; contraxerant. Quin vigesimâ quintâ in ruinas tanta vi intulerunt se, ut ægre admodum, nec prius, quàm se-

xaginta è nostris caderent, sint rejecti. Alterâ pòst Vangurio collum gravi plagâ sauciatur. Tertiô Calendas Julias, qui à cœpta oppugnatione fuit vicesimus, post vehementem jaculationem mediam lunam subigunt, & mutatô muniendi se adversùs rostrum propugnaculi, quod pariter hiabat, consiliô, ab omni parte in muros feruntur. Jam priùs recentes à castris propugnatores, quos pro imbecillo è vulnere Vangurio Tassius regebat, defensionem desperârant, atque omittere, post inspectas à Montecuculo, & Spario ruinas consilium probantibus, statuerant, quò tutiùs & se, & tormenta in castra recipiant, reapse ut certius cum tormentis intereant. A Mura præcipuè patentem fortuitò portam nactus hostis de facili introrupit.

Desperatur defensio Neozriniæ.

Irrumpunt Turcæ Neozriniam, Christiani recedent; multi intereunt in ponto.

pit. Nam ſoli ejus cuſtodes, & pauculi è pontis munimento ſtationarii irrumpentibus obſiſtebant. Reliqui acervatim pontem emetientes, cùm ad vitiatam pridie tormenti pilâ navim pertigiſſent, ponte fracto, partim natatu, partim quaternis ſcaphis mortem ab inſequentibus fugientes, vivi in flumine ſepeliuntur. Cum paucis incumbentes ſuſtinens Comes Thurn è gemino vulnere occumbit. Non uno mortis genere plures Præfectorum, at gregariorum ingens numerus finiêre. Nam è mille ſeptingentis vix pars tertia in caſtra pervenit. Bellicæ machinæ hoſtibus ceſsêre omnes. Nè in adversùm inſuper litus per eandem ocaſionem emergant, quod extractâ in alteram horam pugnâ ſatagebant, Waldekus, & Hochen-

Nè Muram ſuperent Turcæ inhibentur.

chenlojus inhibuerunt: ille festinatis tempori trecentorum auxiliis; hic continuis sexcentorum è lineis, quas duxerat, dimacharum emissionibus, ipse omnes animans, tardiores verò etiam intentatô in pectus sclopô ad officium impellens. Sed propterea transmittendæ Muræ spes barbaros non destituit. Eductus in aciem universus exercitus, & quadriduo in eadem perstans: stationes in littore dispositæ à Sparkio, & tormenta à navibus è ponte residuis fulminantia, sed ante omnia Muræ alveus è tridui pluvia tumidior, quin utramque ripam in potestate haberent, impediit. Itaque quingentis desideratis, quos inter Kegler Passa, de penetranda aliô locô Germania dedeliberatum Neo-zrinium regrediuntur. Illic prima cura

impensa est sauciis. Fuisse quam plurimos carrorum frequentia, quibus Kanisam deportabantur, prodebat. Mox Neo-zrinia imperio Vezirii solo æquata est; nequid, scilicet, exstet è munitione Turcis renitentibus structa, totiésque frustrà magnis viribus appetita, & appetentium cladibus nobilitata.

Neo-zrinia à Turcis diruitur.

Stetit tribus non ampliùs annis, eorum manibus eversa, quorum ære exsurrexit. Etenim Nicolaus Zrinius in omnem nocendi Turcis ocasionem intentus, destinata annô millesimô sexcentesimô sexagesimô primô Kanisiensibus stipendia, intersectis octingentis, à quibus ferebantur, cum alia locuplete præda intercepit. Hæc utilius expendi non posse ratus, ac ad firmandum Muræ litus, novum castrum mo-

Qua ocasione & bene, an malè exstructa?

molitur, tanta cum cura, ut quotidie operis immiſtus materiem humeris ipſe comportaret. Ubi ſupremam ei manum impoſuit, de ſe Zrinium, & quidem novum, ut à vetere diſcernatur, appellat, quod coram allegato ab Kaniſienſibus internuncio, dum ſtrui cœptum, ruſticam villam vocârat. Nam percontanti: utrum volente, aut conſcio Cæſare in pacis otio fines communiat? nec aſſenſu, inquit, nec conſcientiâ Cæſaris opus eſt, ad excitandam proprio in ſolo ruſticam villam. Ecquid tormentorum ſuggeſtus in ruſtica villa? ſubjicienti: & ſuggeſtus, & tormenta ad ſternendos lupos, urſóſq; ſi caulis armentorum imminent, ſore perneceſſaria reponit. Hanc nomenclaturam ad ludificandos hoſtes, uti vides,

cœptam, transtulêre alii ad minuendam famam, atque ad exprimenda vitia structuræ. Ob loci angustias caulæ, quàm arci similiorem: ob vicinos montes, unde sedes armorum, & quotquot ingrederentur, egrederentúrve, in conspectu forent, locô incommodô sitam, ac supra palmares complures defectus, ab Mura sola sepe palorum clausam, ceterà vel equitibus plano ascensu patentem, imperitè munitam, & eruptionibus faciundis planè ineptam memorant. Nimirum tanta erat Nicolai, & Petri Zriniorum stoliditas, ut Sacramento se obstringerent ad perpetuas pro caula excubias, & oppetendam prius mortem, quàm honestissimis conditionibus hosti insidendam permittant; quos reapse vitam pro Neo-zrinia devovisse est in com-

comperto. Tam improvidè administrabatur à Turcis bellum, ut spatiô trium annorum neque Kanisâ, neque Berszeniczâ, neque Babocsâ itinere unius, alteriúsve horæ, ullus procurreret ad explorandum, unde aggressioni opportunior esset Neo-zrinia, de qua evertenda identidem conferebantur consilia, & ad invadendam sub signa toties cogebatur miles. Nam tormentis, fossionibus, & repetitis cum tot bellatorum jactura aggressionibus Neo-zriniam per strata propugnacula aditum aperire molientibus incompertum fuit solam ligneam sepem, quin à Mura introrumpant, obstare. Vezirium certè, licèt sagacissimus inter Turcas haberetur, væcordissimum fuisse necesse est, ut qui à pede montis ad apicem

neminem dimisit, an faciliùs, quàm per editas tormentorum pilis ruinas Neo-Zrinium subiri possit, exploratum; aut è fastigio prospicientes, dum Neozrinium subeuntes, & inde migrantes numerant, patulum à Mura latus non animadverterunt. In Vangurio machinatore autem quid nî divinum suspiciamus ingenium? qui castrum à situ hostium injuriis obnoxium, ab operum imbecillitate, ac coordinatione malè materiatum, patulúmque, intersistente operas inimico exercitu, ità paucarum horarum labore communiit, ut vicenis diebus contra acerrimas impressiones commodè defenderetur. At hæc non eò dicta sunt, quasi Neozrinium persvadere velim castrum omnibus numeris absolutum. Quanquam nonnulli arte, & na-

naturâ præclarè munitum scribant, aliis faciliè assentior extitisse firmius propugnatorum robore, quàm operum artificiò. Rude usque adeò, ac informe, ut pecuarium authorem potius, quàm militem referret, inficior. Hodieque videmus in munitionibus plurium annorum fatigiis, magnis sumptibus, exquisitâ machinatorum à Principibus peregre accitorum diligentiâ structis haud pauca desiderari, plura non immeritò damnari, quin in caulis numerentur, aut humi utilius deponantur, quàm à fortibus viris defendantur.

Zrinius vehementer indolet eversam.

At qualecunque fuerit Neozrinium, inspectantibus tot armatorum millibus eversum doluit implacabiliter Nicolaus, erupturus eapropter in apertas cum Montecuculo simultates, nisi Ungarorum Pro-

cerum preces perviciſſent, ut privatam jacturam Reipublicæ condonet. Montecuculus quoque frequentibus benevolentiæ conteſtationibus, honorificis appellandi formulis, officiosíſq; literis militaris imperii collegam ſalutans offen. ſum pacabat. Quanquam collegam fateri neceſſe habuit, cui in Ungaricas perinde, ac Montecuculo in Auſtriacas copias ſumma poteſtas eſt à Cæſare attributa. Temperare tamen ſibi Zrinius non potuit, quin cum Stiriæ Proceribus dolorem communicaret per epiſtolam hâc formâ: *Rem in nullis lectam hiſtoriis, planéque inauditam, maximo cum dolore D.V. narro. Nuper ſtructum, abſolutúmque à me munimentum, nec tormentorum pilis labefactum, nec cuniculis ſubrutum, ſolis ferme frameis, ho-*

Ejus hac de re literæ ad Stiriæ Proceres.

hodie horis matutinis, inspectante prævalido exercitu Christiano, Turcæ in suam potestatem redegerunt. Istud demum est, cujus desideriô tenebamur, & spe sustentabamur, auxilium! Dominus Montecuculus ad defendendam hanc arcem nè quidem frameam nudari jussit. Destinabam Viennam citatis equis, sed à Proceribus Ungaris, atque à Montecuculo inductus sum, ut castra repetam. Dum ea in re cogitationes defigo, ecce adest feralis nuncius arcis expugnatæ. Enitam-D. V. ut agnoscat Clementissimus Cæsar, nisì diversa gerendi belli ratio ineatur, cogitari non posse, tam validum exercitum, qui prohibeat, quin alia ex aliis propugnacula, ac Regna amittantur. Ego castra trepidatione, ut narratur, plena revisam, neque desistam,

etiamsi ab omnibus deserar, dum novissima in venis stilla sangvinis supererit, obniti, nè Mura ab hoste superetur. Tempus, & locus periclitantis Patriæ, bono civi tempus, & locus est honestissimæ mortis. Deinceps nîl scribam. Reliqua sint curæ, cordique D. V. Ut Deus Optimus Maximus præstet fortunatas, precor. 30. Junii. Neque hic restitit indignatio; se, suásque copias ab iis separavit, à quibus dividebatur animô. Conditoria annonæ à Zriniis diligenter impleta eatenus omnibus patentia suis duntaxat reserari voluit. Propositum tamen pro Ungariæ, Stiriæque salute adversùs Turcas bellandi nunquam interrupit. Hi in diversum litus semper intenti, cùm in præsentia nostri exercitûs id confici ab se posse desperarent,

Separat se à Monteculo.

rent, ſpecie recedentium à Mura, inde eum abſtrahere ſatagebant, revolaturi ad vacuam cuſtodibus, & illico trajecturi. Itaque detendere papiliones, tormenta in caſtra retrahere, cum parte ſarcinarum reapſe movere; ſed clàm regredi, & machinas ſubitò in nos diſplodere, dum non proficientibus artibus demum quinto Idus Julii vaſa noctu incenſis caſtris conclamarent. Quanquam pauci tunc quoque in meridiem ſecuturi dici eodem in veſtigio perſtiterint. Et verò conſilia, ac vires omnes ad deportandum in Germaniam bellum intenderant; auſi etiam Joañem Caſimirum Poloniæ Regem per legatum interpellare, ut militarem viam per Poloniam Tartaris in Sileſiam indulgeat, dum Vezirius expugnare Muram, aut

Turcæ abeunt Neozrinià.

Eorum conſilia irrumpendi Germaniam.

Arabonem, & introrumpere Stiriam, Auſtriámve contra obſiſtentes Germaniæ, & Ungariæ copias nitebatur. Sed ſpei irriti utrobique diſceſſerant. Nam Caſimirus, & per ſe non prodere, ſed tegere Chriſtianos contra injurias barbarorum certus, & Friderici Brandeburgi literis magno rationum pondere flagitantis, nè quid Mehemeti gratificetur, incitatus abnuit, quod ſalvâ amicitiâ cum Cæſare, & Principibus Imperii annuere nequiit. Muram verò & Arabonem flumina tegendæ Stiriæ, & Auſtriæ quovis propugnaculo accommodatiora, & repetitis ſæpius aggreſſionibus tentata, non modò proſpere tutatus eſt exercitus, ſed Arabonem illuſtri victoriâ memorabilem reddidit.

Dum

Dum adhuc è diverso litore Turcæ ac nostri ad Neozriniam starent, fama novorum ab Imperio subsidiorum spem inter & metum ambiguos recreaverat, quam non diu post Badensis in castra adventus confirmavit. Is ut erat ab itinere recens, stationes Christianorum contemplatum abiit. At magnum Prælectorum comitatum trahens acceptô à Janicsaris è propinquo vallo fistulantibus non levi damno rediit. Sed morbi majorem edebant stragem. Ægriebant inprimis, qui Kanisiensi oppugnationi intererant malô è paludibus haustô. E legionibus Nassavia, & Kelmonsegia vix tertia pars valuit. Hæc mala exasperavit rusticorum crudelitas. Vectos per Zriniam insulam in xenodochia ægros juxta & sanos aggressi, supel-

Badensis inspicit Christianorum stationes

Eorum calamitates.

lectile, mille, & ampliùs equis, quosdam etiam vitâ ſpoliant. Ad hæc deditum Kis-komaromium exuritur, & præſidiarii Ungari incolumitatem pacti, tricenis exceptis, qui Papam ſalvi tenuerunt, à Tartaris abeuntes ſecuritatis gratiâ comitantibus trucidantur, poſtquam unius horæ iter emenſi eſſent. Eodẽ fato in cineres abiit Egerſzegum. Ad hæc metus erat, nè cumulentur tot indetrimenta irruptione, aut per expugnatũ quodpiam finitimum Auſtriæ munimentũ diſpoſitione ad irruptionem in Germaniam, ad quam tam diu aſpirabant.

Turcæ, & noſtri tendunt versùs caput Arabonis.

Id nè confectum dent Vezirio ad Kaniſam cum exercitu brevẽ poſt tot labores quietem captante noſtri 17mô. Calend. Auguſti ineunt iter Arabonem versus, unde opitulari Jaurino, ſi ſubitò oppugnaretur, & obji-

ce-

cere se hosti, si Arabonem superare moliretur, possent. Nec Mura deseri penitus potuit. Ad ejus tutelam Zrinius cum suis, & tribus à Montecuculo relictis legionibus resistit. Német Ujvarinum quoque arx ditionis Battyanianæ, operibus, atque naturâ par cuivis oppugnationi, auctô præsidiô communitum, quin minueretur exercitus. Crevit potiùs accessione Gallorum Duce Colignio ex Italia per Salisburgum, ac Stiriam: nec non Imperialium per Sopronienſem Provinciam ex Austria iter emensorum. His ab Electoribus, & Principibus Imperii è Ratisbonensibus comitiis præiverant literæ ad ordines Ungariæ decimô sextô Calendas Julias exaratæ. Erant benevolentiâ plenæ, & quorum amori impenderetur au-

Zrinius Muram tuetur.

Adveniunt Galli, & Imperiales.

xi-

xiliorum beneficium, quæque esset Germanorum de Ungaris opinio, testes. Idcirco grati animi duximus, ut hic ad perennem memoriam adscribantur. *Contracta, ajebant, pridem inter Sacrum Romanum Imperium, & Inclytum Ungariæ Regnum necessitudo perpulit, nè implicitis bello armorum subsidia deesse patiamur. Itaque, ut pronus noster erga vos animus, qualem manifestis hactenus documentis persæpe testati sumus, rursus in clariori luce ponatur, præsentium Comitiorum consilia referebantur ad ea celeriter communi assensu amicis decernenda. Id humanitatis, ac viciniæ jura, id amor Christianæ Religionis, & commune discrimen exposcebat. Non potestis hocce studium non collaudare, aut citra reciprocum amorem vo-*

Literæ Imperialium ad Ungariæ ordines.

vobiscum recogitare. Quin facturi simus, quod vobis, atque Augustissimo nostro Cæsari, Gloriosissimo vestro Regi paternè de suorum salute solicito pollicemur, nè ambigite. Nec est, cur Religioni, aut libertati ab his suppetiis metuatis. Neque sacratissimæ Majestatis, neque nostra mens est jura cujusquam attentare, sed junctis consiliis Barbarorum tyrannidi occurrere, ac ingruens nobilissimo Regno excidium prohibere. Consociatis armis, & studiis, ùt Christianos decet, quanta vi licet, repugnemus minitanti supremum exitium ferociæ. Bellaturos cum hoc proposito juvabit Numinis favor. Nos arma, viros, pecunias, quantas necessitas, & ratio periculorum requiret, perlibenter ministrabimus Cæsari, cujus auspicia sequimur. De

ve-

vestra fortitudine, aut constantia quævis dubitatio grandis est injuria. Id unicè hortamur: positis, quæ Religionis discordia contraxit, odiis, ac suspicionibus, concordes ite in hostem, nostrum militem benevolè accipite, cibaria æquô pretiô petenti præbete. Id verò vobiscum indesinenter exputate, quantumcunque Præfecti militem in officio contineant, bellum cum hostibus sinè multiplici injuria amicorum nunquam geri, sed quam defensæ Patriæ gloria, & victoria ex hostibus abunde compensat. Hanc à Deo omnium bonorum largitore precamur, & studia, ac amicitiam nostram offerimus.

Indulgentiæ in forma Jubilæi promulgatæ.

Bellatorum subsidiis Alexander septimus adjunxit indictas nonis Martii Christiano populo supplicationes. Ut fusæ ab amicis Deo accidant gra-

gratiores, adeóque flectendo ad ferendam miseris mortalium rebus expetitam opem accommodatiores plurimum contulit commissâ obviis Sacerdotibus potestas relaxandi quævis spiritualia vincula, & impertita pœnarum peccatis debitarum venia, si sontes pro sacro tribunali eadem retractaverint. Eum in modum sacris, profanisque auxiliis animato exercitu, per exploratores nunciatur Vezirium cum quindecim millibus Arabonem versùs festinare, reliquos mox secuturos. Conjiciebatur in præsens discrimen unicum Austriæ, ac Stiriæ præsidium Arabo. Quare ad intersistendum Vezirium præcedit cum suis Battyanius. Nam sylvæ, angustiæ, paludes dejectis deditâ operâ pontibus, gravis armaturæ militum iter vehementer

Vezirio Arabonem transmittere volenti occurritur.

ter retardabant. Geminâ nihilominus ſemitâ à Battyanio commonſtratâ haud procul S. Gothardo perveniunt, & conjunctis ponte ripis Arabonis in diverſam partem flumine, & montibus defenſam deſerto cum impedimentis peditatu, ſylvis, & montibus pariter, ut apparebat, utcunque tutô ab hoſte, commigrant. Battyanius poſtridie haud procul Kermendino cum ſuis conſedit. Adjunxerant ſe ei Kuſſenicſia, & Zeiſiana legiones, Nadasdianæ item copiæ, ſed brevi à ſe divulſi ſunt. Nam volitantes ex adverſo litore hoſtium globos conſpicati Duce Croatarum Protribuno pars trans Arabonem feſtinârunt ad invadendos. Et tranſgreſſi vix arma exeruerant, inclinârunt illico, ſi conſultò non cedebant, ut à ſociis abſtractos, quod

Croatarum volitatio cum Turcis.

quod fecerant, certiùs mulctent. Quippe dum ſolutiùs inſtant Turcarum tergis, cædúntque averſos, perverſâ fortunâ cum verſa ſubitò à fugientibus facie vapulârunt compluribus amiſſis. Eodem tempore pontes, quos inter paludes ad cavendas ruſticanæ plebis injurias dejectos diximus, accipiendis tormentis, impedimentíſque repoſiti, parùm aberat, quin tormentis, & impedimentis, eorúmque curátoribus exitio eſſent. Ad pontes conſiſtentia Cæſareorum tormenta, contrà ac feſtinantes animo præceperant, offenderunt cum Imperialibus Gallos. Inde indignatio, mutua convitia, ac promptis armis rixa. Finitam præter opinionem cæde ſolius Præfecti Cæſareis plauſtris tantò magis gaudebant, quantò plura fu-

Oborta inter Cæſareos, Imperiales, & Gallos rixa.

ne-

nera minitabatur. Vicesimâ septimâ hostes familiari ferociâ stationarios ad propinqvum S. Gothardo pontem aggressi, Ungaros, & quodam Dimachas ante alios, è fossis, in quas fortuitò repertas se præcipitârunt, pilis pessimè habent. Nutabant per hanc trepidationem pene omnes, jámque caput pontis deseruerant, brevi tamen à Badensi in gradum reponuntur. Colignius suo cum legato le St. de Chantenauf, Volonum nonnullis ex equis in pedes descendere jussis pontis caput asseruit, nonnullô sauciatorum equorum, hominúmque damnô. Ob claritatem sangvinis vulnera Comitis de Sault, & Marchionis de Trois-ville magis erant conspicua. Colignius equi jacturam ob Majestatem Cæsaris, à quo

Variæ de Arabone cum Turcis dimicationes.

à quo donatus, magìs indoluit. Eodem loci, at extra prælium vixit Ducis Seri de St. Aignant primogenitus. Juvenis militari æstu ubivis cum hoste manus conserere ardebat. Dum inconsultè propiùs Arabonem accedit, glande ab adversa ripa figitur. De cadavere inter crebras jaculationes certatum; dum illi transmisso Arabone lautè vestitum spoliare, hi tueri ac vindicare nituntur, & reapse vindicant. Sed longè acrius, ac diversis in locis simul pugna de Arabone instaurata est. Nam dum haud minùs contentè ad hujus, quàm Muræ nuper alterum litus barbari nituntur evadere, Hochenlojus selectos è singulis turmis Dimachas tricenos Gallorum exemplo è pedibus pugnaturos educit, & duo tormenta in vadan-

tes

tes dirigit, exceptíſque fortiter, atque à propoſito abſterritis, alia parte jam in citima ripa numeroſi volitare & ultra pagum ſe dare in flumen nunciantur. Sed nuſquam ſuſtinuerunt noſtrorum impetum. Itaque illis deſertum litus repetentibus, [illegible] caſtra victores conceſſerunt. Fama erat Turcas pene bis mille aquis hauſtos eſſe. Inter ſaucios Chriſtianos erat Kuſenichius. Poſtquam iterum, itérúmque hoſtis rejectus eſt, ad oppidum S. Gothardi ſuapte humile, clariſſimâ jam jam victériâ notandum hinc Chriſtianorum, inde Turcarum exercitus nonâ, & viceſimâ conſtitêre. Dextera ala ad amnem Laufnicam locum cepit. Lotharingi, & Taſſii legiones excubabant, ubi Arabo peninſulam efficit. Peditatus clauſtrum

Ad S. Gothardi Chriſtiani, & Turcæ è diverſo litore Arabonis metantur.

ſtrum S. Gothardi ſubiit. Commodum reliquæ Gallorum quatuor ac decem centuriæ eodem tempore affuerunt. Ab adverſo Turcæ ternis in collibus totidem caſtra explicuerant, hos, & illos Arabone interluente, neutros volitantibus ultro, citroque pilis tormentorum ſubducente. Priùs à noſtris collocata pro litore, haud irritis emiſſionibus fulminabant; ſed quia ad manus non plures mille octingentis libræ pulveris erant, haud diu. Quare facilè, cumulatéque poſtridie hoſtium machinæ acceptam cladem retribuerunt, Gallis præcipuè infeſtæ, & præter complures gregarios, Granſcianis, & Eſpagnianis duobus Signiferis, viceniſque partim Inſtructoribus, partim Decanis etiam fatales.

Mutuò ſe tormentis impetunt.

Turcæ Arabonem superant.

Post exploratum noctu vadum Calendis Augusti felicius, quàm unquam antehac, termille Spahii assumptô quisque post se in eqvum Janicsarô conatum superandi Arabonem retentant. Simul in adverso litore apparuêre, simul excubias (erant facilè centum) quid fieret, ignaras, dignáisque planè castigatione, concidunt. Moniti pridie, ut vallum stationi circumducant, negabant è re fore,, si altero die pugnaturi terræ se infoderent. Sua his temeritas, hostilis, fraus mox aliis nocuit. Ferocientibus successu, gradúmque ad plenam victoriam promoventibus, haud territi sociorum strage illico occurrerunt Hochenlojani, ac Francones Blaitnero, Svevi, Bavari, Saxones Fugero Ductoribus; nec non Smidiani, Nassaviani, & Kie-

Primas excubias concidunt.

Mox alios magna clade profligant.

Kiegelſmoniani Montecuculo curante. Barbari quaſi tantam vim non ſuſtinerent, terga actutum verterant, & Arabonem versus ferebantur, dum perſequentes tormentis fierent obnoxii. Illic circumactis equis, & cominus à Spahiis, & eminus à tormentis multi ſternuntur, cúmque è corona hoſtium explicuiſſent ſe, trahunt peditatum præſenti periculo, & ſociorum impetu ſuos in ordines irruentium perculſum. Plerique Præfectorum, dum fruſtrà fugam ſiſtunt, & cum paucis repugnant, perièrе. Neque ultra dumos Bavari, & Weſtfali, aut alia parte Cæſarei feliciùs dimicabant. Laborantibus opitulantem Schulspacenſem Smidiana, aliæque peditum legiones deſerunt. Non amplius, quàm manuales ſclopi

plumbeas glandes ructent, ab Hochenloji tabernaculo hostis aberat. In Imperialibus, cùm plerique omnes essent Tyrones, edita strages longè maxima. Præfecti, & milites pene ad unum, at non uno mortis genere exspiraverunt. Illi in fronte pugnam cientes acceptis in adversum pectus vulneribus, uti Duces decebat, procubuêre. Hi armis abjectis, provoluti in genua, & vitam deprecantes, solis ferè frameis concisi. Novi interim Turcarum globi identidem in ripam emicant; omnes terrore implent, & opportunis locis loricas attollunt. Jam pagum Meckendorff, adeoque castrorum partem Janicsari occupârant, atque ex insessis domibus plumbea grandine la.è stragem spargebant. Victoriam Turcæ; suam salu-

tem

tem Christiani meticulosiores conclamatam ingeminabant. Quin nonnulli ex acie in Stiriam profugi existimata internecione deleti exercitûs in summam egêre desperationem populum, ut in montium cacuminibus, & Italia quærerent securitatem haud pauci. Media ex acie excedentes à Waldeko neque adhortationibus, neque imperiis revocari ad abruptam dimicationem potuerunt.

Montecuculus, & Hochenlojus turbatam Christianorum aciem restituunt.

Victoriam eum in modum ad hostes haud obscurè inclinantem stitêre, & Christianis ingruens exitium convertêre in barbatos, inde Montecuculus, hinc Hochenlojus. Ille raptis Lotharingicâ, & Schnaidaviâ equestribus, Spariâ, Lakroniâ, & Tassiâ pedestribus veteranorum legionibus, quà potissimùm prægravabant, ir-

ruentium impetum retudit; hic æger equo impositus, pagum Mekendorff à Janicsaris insessum expugnavit, concrematis, qui in casulas refugi deditionem projectè abnuebant, & duobus sua manu glande fixis. Reliquos evoluto cum Imperialibus globo in alteram dumi partem retrusit. Caroli quoque Lotharingi tum Adolescentis militaris indoles enituit, seu cùm adversùm recuperantes pagum fortissimè dimicaret, quanquam interfecto le sr de Bronne, incumbentium numero cesserit, seu cùm fossam quampiam gregariis immistus tueretur, tanto mortis contemptu, ut commonitus Lotharingum non militem, sed Ducem recordaretur, minutim discerpi se, quàm vestigiô decedere paratiorem contestaretur. Et admiratione

Caroli Lotharingi Fortitudo.

ne dignum erat Juvenis cum prævaiido Turca de vexillo singulare certamen. Id toto virium nisu ille in pectus stantis pro margine fossæ torserat; hic declinato ictu hastile manu prehendens cum adversario tam diu luctabatur, dum extorqueret. Missum postmodum Francisco Lotharingiæ Duci in Burgundica capella pependit Caroli trophæum. Turcæ nihilominus summa vi repetebant pagum. Obsistebant pariter Waldekiani, Beauvise item cum tribus Gallorum turmis, Graisciana, ac Espaignia legiones pulsæ sæpius, ac pellentes. Protribuno de Rolli ad extremum, & Plessio Moguntinorum Equitum Magistro, aliisque tum Præfectis, tum gregariis cæsis, Villerojo sagittâ in brachio, Serio glande in axilla ictis, & com-

pluribus honorariis bellatoribus variè ſauciatis rationem pugnandi mutare placuit.

Proſequantur, an abrumpant pugnam, infelicitèr coptam, deliberatur.

Plerique ajebant parùm promovere ad ſummam rei congreſſiones per turmas, & cohortes, atque etiam per legiones. Summis illico omnium viribus incumbendum in hoſtem minutioribus ſucceſſibus exultantem. Alii contrà ſentiebant: feſtinatis operis comuniendum præſtructo aggere militem, & reliqvum diei, ac proximam noctem feſſo ad requietem indulgendam. At refellebantur. Nam à quibus flumen Turcas non arcuiſſet, properato aggere dividendos ſpes nulla ſe dabat. Animos inde potiùs hoſti nimiùm quantùm confidenti augendos; noſtros è vallo facilè fugam circumſpectaturos, & exemplum jam profugorum tra-

tracturos reapse haud paucos præsens metus erat. Certè Turcæ si quod spatium nanciscantur, ità eô usuros ad firmandam stationem, ut nulla inde vi emoveantur. Excepit Colignius: suorum salutem sibi ante alia curæ, cordíque esse oportere; quàm penitus abjecerit, si periculosissimi prælii aleæ eos prudens exponat. Cui Hochenlojus: Gallis lingvæ, ac locorum ignaris à sola Turcarũ cæde salutem sperandam. Quocunq; hostium vitabundi iter flexerint, ab rusticis suapte ferocibus, & non unâ ab exercitu molestiâ irritatis certius adituros salutis discrimen. Nisì victores salvos esse non posse. Quin Christianum populum suam ab eorum dextris salutem reposcere. Hærebat Colignius tum quoque ambiguus, dum Hochenlojus

Regis suo arbitrio Francorum suppetias permittentis epistolam exhiberet.

Decernitur pugna.

Assensu mox omnium comprobata est hæc sententia. Præsens enim erat periculum, nè nostris ab omni parte circumfundantur, quos pugnantes in frontem ægre sustinebamus, infra, & supra castra identidem tranantes, nunciis referentibus. Ubi Arabo in cubiti formam retro discedit, spatiô nec longiore, nec latiore, ac mille ducentos passus, eatenus variâ fortunâ à manipulis signa conferebantur. Ibidem Christiani, & Turcæ aciem struunt. In dextra, cui pagus assidet, Cæsarei se explicant. Sinistram sylvulâ tectam Galli tenuêre. In medio Imperiales suos in ordines dispositi. Queis Colignius ad supplendos, qui primum transgressis Arabonem

Nostrorum acies.

Spa-

Spahiis occurrerunt, obtritique sunt, Feviladam cum mille peditibus, Beauvisium cum sexcentis equitibus adjunxerat. Istis, postquam animosiùs in Turcas invecti perumpere confertos nequeunt, & referre pedem non sinè clade coguntur, Rapachiana, Pioa, & Spikia legiones successerunt. Ad hæc secundùm flumen in utrumque latus prolixæ armatorum lineæ porrigebantur, nè ab insana barbarorum multitudine triginta millium exercitus circumveniatur. Battyaniani, quam ultra Laufniczâ præcedentibus diebus occupârunt, stationem retinent. Fœderatos præter octingentos pedites, & tres turmas, morbi, inutiles pugnæ reddiderunt. Editô nihilominus quartâ post meridiem horâ concurrendi signô, primæ

Inclinantur Turcæ.

impressioni, in qua Gallorum alacritas, atque impetus eminuit, sustinendæ par hostis non fuit. Dum primis prostratis pilarum grandini remotiores fiunt obnoxii, à postremis fugæ initium factum. Grandi enimvero id Christianæ rei fortunâ accidit. Nam si vel paululùm adhuc incumbentium vim sustentâssent, defectis bellico pulvere certandum solis gladiis, aut recedendum fuerat. Quanquam multi, iique Primores se dederent, perinde atque repugnantes sternebantur. Solius Feviladæ manu viceni necati sunt. In acie sexies mille interiisse collectæ totidem frameæ indicio erant. Paulò pauciores Arabonem remetientes vel aquæ hauserant, vel glandes confixerant. Montecuculus sexdecim millia ad Cæsarem perscripsit deleta.

Cre-

Credo, connumeratis, qui multis velitationibus decretoriam ante pugnam interiêre. Nam Polonus fortunam primum Barbaris, tum Christianis faventem secutus desideratos duntaxat decies mille retulit; atque in his Passas quinque, Agas supra tricenos, Spahiorum, Janicsarorúmque florem. In his quot Asiatici, Bosnenses, Anatoliense, &c. non vacat singillatim numerare. Nuper Budæ, nunc Bizantii Præfectum, Cajmacanum appellant, Magistrum equitum, Janicsarorum Agam, Cami postgenitu nominâsse sufficiat. Poloni narrationem adductus à Battyanianis captivus confirmavit, addens, Consultorem quoq; Vezirii, sinè quo nihil unquam decrêsset, cecidisse, eâ causâ incertũ consilii suos castris tenere. Compluribus cùm

Cæsorum numerus.

ab aquis, tum ab hoſte intactis, quòd fugiſſent, concidi juſſis, cumulavit cladem Vezirius ipſe, Paſsâ ad fugam primo ſuis manibus obtruncatô. Velut pridem animô præcepiſſent cladem, quam paſſi, impedimenta Kaniſam tempori ſubduxerant. Neque idcirco ſterilior fuit præda. Signis centum quadraginta, pretioſis veſtibus, equis, armis aurô, gemmiſque gravibus, ingenti copiâ victores potiti ſunt. Cæſari framea Georgii Rakoczi Tranſylvaniæ quondam Principis nomine celata, ac gentilitiis armis inſignis, quâ tunc Kaplan Paſſa pugnavit: ſex equi, & à præſtantia, & à ſellarum, fœnorúmque pretio commendabiles donum miſſi. Ad reliquas varii generis opes, flumine merſas cum fugientibus, extrahendas temporis, ad au-

Prædæ copia.

fe-

ferendas longo labore extractas jumentorum ſatis ad manus non erat. E protractis novem tormentis, qvina Gallis permiſſa. Sextus circumagebatur annus ab impoſita Leopoldo Imperii corona, quo die debellatum. Hinc victoriæ felicitatem pro confirmata Leopoldo Imperiali dignitate Viennam, Imperatore Electoribus Ratisbonam gratulatum citatis equis nuncii abiêre, & magnâ ubique lætitiâ excepti ſunt. Leopoldus cum publica lætitia ſuo more conjungit pietatis officia. Inter plauſus reboantium tormentorum decantatô Ambroſianô hymnô imperat Viennæ per omnia templa, & vicos ſupplicationes. His ab ſe cum omni aula celebratis adjicit privatim ad Cellas Marianas peregrinationem. Illic

Victoriæ nuncii.

Propter eam comprecationes Viennæ.

M. Leopoldi ad Cellas iter.

Deo

Deo victoriæ auctori, & auxiliatrici Virgini, consecrato ejus Assumptioni die, præter argenti, aurique dona ardentes grati animi affectus obtulit. Ut porrò sumpta ad vindicandam ab usurpatoribus Ungariæ veterem Magnæ Dominæ hæreditatem arma juvare pergat, multis deprecabatur.

Consternatio Turcarum.

Hæc conversio tantò Adrianopolim affecit acerbiùs, quantò effusiùs, intellectô secundiori pugnæ initiô gestiebat. Vezirius enim non expectato exitu, superatum denique Arabonem, magna clade profligatam Christianorum primam aciem, ultima primis haud dubiè responsura mox significârat. Sultañus antè indignatione plenus, quôd oceano imperantis exercitum unicus moraretur alveus, repetitis mandatis urgebat, summis vi-

ri-

ribus connitantur, ut hunc obicem perrumpant; hæsurum suo nomini perpetuum dedecus, si Orientis potentiæ amniculus non cederet. Jam voti compos exilit gaudiô, & septidui festum (Dunalma appellant) ovationi edicit. Ergo apparantur magnificæ epulæ, concinunt fistulæ, ac tympana, domus festivis lampadibus, ac facibus collucent, bellicæ disploduntur, universos ex æquo tripudiantes, anxium neminem videres. Tertius hæc inter evolvebatur dies, cùm alter adest à Vezirio nuncius quantam rarò antea cladem esse acceptam ad Arabonem. Conticuêre momento omnes, ad vota, & placandum superstitionibus Mahometis Numen conversi. At in castris miserabilior erat rerum facies. Vezirius ad stragis atrocitatem il-

illachrymatus dicitur: quòd in tantam calamitatem superesset, præ sua optat fortunam glandes fixi, atque intereuntis equi, ex quo tot suo in sangvine, & aqvis nantes intuebatur fortes viros: Janicsari infelicem militiam execrantur: evilescit apud omnes Ducis authoritas: laxatur disciplina, pax afflictim anhelatur.

Transitionem facientes ad Christianos.

Cùm ad Neo-zriniam, tum ad S. Gothardum plures perfidi Christiani, & resipiscentes Mahometani ab hoste ad nos transitionem fecêre. Erat inter hos Polonus annos novendecim, quinque minùs alter Italus è Marsilia, mari captus, militiam cum Turcis facientes; alter item Italus Centurio, qui Besprimii impatientiâ carceris Christianas partes deseruit, & Tympanista Pioi ad Ujvarinú interceptus. Cogni-

nitum ex iis, quamvis variarent, & ad ducenta etiam millia hostium numerum attollerent, armis tractandis pares septuaginta millia fecisse, Tartaros millia triginta, reliquos Turcas fuisse.

Nostri hâc pugnâ plures sauciati, quàm interierint. Præcedens è tyronibus mille octingentos sustulit. Superstites mox in castra, & Gustavus Adolphus Badensis quidem tribus equis confossis, quartô, Montecuculus quintô inscensô remigrant. Ægrum Hochenlojum, postquam nihilo lentiùs quàm integri muniaDucis obiisset, alienæ manus in tabernaculum deportant. Galli cum Fevilada ad nocturnam quietem, locum, in quo vincendo fessi, aliis præhabent. E Tribunis Imperialium nemo ferè non honesto aliquo vulne-

Quot è nostris cæsi, & sauciati.

re

re ſignatus eſt. Fugerus Comes ob egregias dotes præcipuè complorabatur. E Gallis Villaregius, Roverſius, Sciatreus, Centuriones plerique ſauciati. Præter Blentnerum, Endenum, Naſſovium, occubuêre Comes Trauttmonſtorffius Montecuculianæ Prætoriæ Præfectus, & Urſembeccus Rapachianæ Centurio.

Nomina præcipuorũ Ductorum.

Ut ſuperſtitibus, quam poſſumus gratiam habeamus, præcipuorum nomina Ductorum adſcribimus. Wolffgangus Julius Hochenlojus toties cum laude, ſed quantam commeruit, nunquam nominatus Imperialibus ab Rheno ſubmiſſis præerat. Qui reliquos regeret, litem in magna inſignium Ducum copia, Cæſar cum Triumviris conſenſu Principum ad legendum ſuffectis, compoſuit deſignato Leopol-

do

do Wilhelmo Marchione Badensi. Legatus ei attributus est Waldekus. Tormentariam rem administrabat Franciscus Fugerus, uterq; Comes. Commissarii equitum erant duo, Augustus Holsatus, & Udalricus Wirtembergicus Duces; totidem Generales peditatûs, de Puech, & Gustavus Adolphus Durlacensis, sacra tum romana amplexus. Fridericus ejus germanus, & Bernardus à Gatten Monasteriensium Episcopus, bello pro Principibus moderando è propingvo, Viennam allegati sunt.

Hæc excepit fœda tempestas, & pluvia supra modum larga, atq; in diẽ vigesimum quartum continuata. Inde lutum vias adeò corrupit, ut ex una in aliam castrorum partem equitibus aditus foret nimium operosus. Sed cibariorum penuria

Gesta post pugnam.

ria longè magis, quàm pluvia, lutúmve afflixit exercitum. Nec Præfectis, quem roderent, panis erat omnibus. Altero post victoriam die Exercituum Domino, Cœlique Reginæ, cujus patrocinio adscribebatur, grates in castris Ambrosianô Hymnô inter lætos tubarum, tympanorúmq; fragores, nec non tormentorum boatus decantatæ. Neque necatos obliti: Pro immortalibus eorum animis factum ad aras mortuale Sacrum præsentibus militibus, Ducibúsque. Subinde Montecuculo, & Colignio redditæ Augustâ scriptæ manu literæ, consilia, & egregiam utriusque operam collaudantes. Suum præterea in exercitu Vicarium, seu Generalem Locumtenentem, dixit Cæsar Montecuculum. Cæteros Præfectos ad novos

di-

dignitatum gradus evexit, distribuendis magni pretii donis in Gallos, & Imperiales perinde arque in suos munificus. Contrà qui officiô perperam functi, ignominiâ quidam notati, conjecti in carceres alii, fixi glandibus, atque etiam resti necati nonnulli. Epistola à Cæsare ad Montecuculum, uti meas in manus venit, scripta est in hæc verba: *Chare Comes Montecucolli! incredibili lætitiâ affectus sum, cùm è tuis, quas Calendis Augusti dedisti, de felici eventu, & insigni victoria, quam armis nostris Deus Optimus, Maximus concessit, intelligerem. Ea sanè tanta est, ut opinionem meam, spémque longè superet. Solenne Te Deum equidem quantocius decantari feci. Crastina tamen instaurata supplicatione tormenta è propugna-*

Cæsaris ad Montecuculum litera.

gnaculis omnibus solvi jubeo. Quia verò cùm hactenus alibi, tum in præsenti maximè strenuitatem tuam, cum egregia prudentia, rerúmque usu conjunctam ostendisti, atque multis nominibus de domo mea præclarè meritus es, honoris ergo te Locumtenentem meum Generalem nominare decrevi. Hac gratia, voluntate mea maxima, ac gaudiô, te impertior, tuáque in prudentia planè acquiesco. De Cæsareis meis gratiis certum te esse jubeo, maneóque Dominus tuus Clementissimus. Leopoldus.

Ostenta cœlestia.

Triduo quàm pugnatum est, rubeam in cœlo crucem, cum semiluna hostiliter concurrentem, ac demum victricem, Papæ; mense Januario Varanoviæ sangvineam frameam cum gemina cruce, ac leonem ab hac, draconem ab adver-

versa parte acuentes in se mutuò dentes vidisse sibi visi sunt multi. Crucem Christianorum, &, si gemina sit, Ungarorum, semilunam Turcarum insignia, Leonem, & Draconem, symbola, secuturorum præliorum, ac victoriarum signa à Deo statuta pro more interpretabantur plures. Et verò hunc in finem edi à Deo potuerunt. Sed quis consiliarius ejus fuit? Mœteora id genus proprio nomine Cometæ è pingvibus vaporibus, quos calor in supremam aëris regionem evehit, Sol accendit, coalescunt. Eorum figura, & color pro materiæ copia, & modo, variatur. Physicis orta principiis, obstetricante natura, universi bono à Deo destinantur. Nubes sæpe easdem figuras induunt. Variè in se se incurrentes, ùt à ventis aguntur, spe-

ciem colluctantium exhibent, dum disparantur. Nec sapientum ullus formidine corripitur, aut in spem erigitur, sive in Draconis, sive in Angeli formam componantur, & hæc prior, posteriórve depereat. Et cur Cometæ in gladios, cruces, semilunas, dracones formati terreant, aut exhilarent? At tot sinistrorum hos, lætorum illos Cometas consecutorum eventuum memoria est: tot fatidica à scriptoribus ostenta legimus adnotata, de quorum fide dubitare nefas. Quid? nonne, si annos Cometis insignes relegamus, totidem faustos eodem tempore, quot nefastos eventus comperies. Et quis mensis adeò felix, quin grande quodpiam malum, aut infelix, quin jucundum nil secum trahat?

Quæ

Quæ nos naturæ ſcrutatoribus permittimus.

Vezirius interturbatis ſiniſtrô præliô conceptis conſiliis, quinque dies deliberationi impendit, quò ſe vertat. Sextô cum triginta millibus equitum, qui pugnam, ſuorúmque cædem eminus otioſi ſpectârant, accenſis caſtris, moleſtum iter init versùs caput Arabonis; noſtri ex adverſa ripa ſeqvuntur viâ perinde iniquâ. Etenim illius agmina Croatæ, Gerskiani, & Galli pilarum jaculatione è minoribus tormentis interrumpebant, & confundebant. His aquæ, lutúmque multum negotii faceſſiêrunt. Hochenlojum Waldekus, Imperialem militem circulorum copiæ aſſectabantur. Queis hærentia in pontibus Lauſtniczæ impoſitis Gallorum impedimenta, feſtinantibus Gallis

Chriſtiani, & Turcæ divelluntur.

pontes ad Kermendinum pondere Hochenloianorum, Waldekianorum, & Cæsareorum feliciter transgressorum rupti moram admodum ingratam injecerunt imposita necessitate emetiendi viam longiore circuitu. Kermendini intellectum Turcas Albam-Regalem petere. Ad tentandum ex itinere Sůmegiense oppidum applicuerant animum. Georgius Schécsénius, vir in Rempublicā profusè liberalis, cùm Vesprimiensium esset Episcopus, cui quoad Sacra juxtà & profana paret, id muro inclusérat. Si subigeretut, futurum erat acutissimi è recenti plaga doloris haud modicum lenimen. Contrà accidit. De octo millibus ad subitam aggressionem impulsis, Sůmegienses trucidatis quingentis cicatricem necdum obduci ce-

Turcæ ex itinere infeliciter agrediuntur Sůmeginiū.

cæptam vehementer exulcerant. Oppidum propugnatorum operâ, non voluntate conflagrat. Nam ignis ſuburbio, nè hoſtem juvet, à pedite Ungaro injectus, ultro quàm vellent, officiô functus eſt. Sûmeginenſibus tamen incendium minùs, quàm fames in exercitum graſſans Sopronienſi Provinciæ nocuit. Poſita erant caſtra Ginſium inter, & Sopronium exeunte Auguſto. Procurrens inde famelicus miles, quidquid repertum extra oppida muris incincta, diripit. Quæ quidem rapina à diuturna victorum inopia merebatur excuſationem. Sævities rapinæ juncta, & plebi, viatoribúſque in tractu Tirnavienſi adhibita, non poteſt non damnari. Dum Turcæ Alba-Regali Strigonium, Chriſtiani ſeptimô idus Se-

Chriſtianus exercitus diripit provinciam Sopronienſem.

ptembris transmissô ad Posoniú Danubiô, Tirnaviam inter & Galgoczium ad pagum Buchany pervenerant. Inde Vezirius nîl cunctatus, exercitum inprimis ad alteram Danubii ripam deportat, dein commeatum quingentis carris Ujvarinum infert, & præsidium adjectis ter mille viris firmat. Compererat enim periculo, quod hinc Montecuculus, inde Souches cum suis creabant, discutiendo, bellatorum Ujvarini numerum haud esse parem, annonam pauculis diu non duraturam, neque aliunde subvehendam, Souchesianis omnem circùm agrum percursantibus. Ipse acceptô in castra decem, & quinque millium supplementô auctior, ac metuendus, sive in Moravia, & Silesia vastitatem moliri, sive munitionem quampiam in-

va-

vadere, ſive aleam prælii denuo experiri poterat; & unum horum tentaturus credebatur. Noſtri, nè quid ad exitum perducat, & recenti victoria, & adductis ab Ulrico Wirtembergico quater mille (octo alii, alii decies mille volunt) auxiliis, quatuor mortariis, octo ad quadraginta minoribus, majoribúſq; tormentis, alacriores, & obſiſtere certi, quidquid aggrederetur, operiebantur immoti. Sed conſiciente fortes viros turpi egeſtate, quies diuturna eſſe neqviit. Hæc furore animos incendit, ora ſolvit in querelas, in rapinas, & cruciamenta agricolarum incitat manus. Tantò impotentiùs ferebant inediam, quantò inter amica præſidia, & urbes, proximô Danubiô faciliùs comportari omnia, ut abundent, potuiſſe, in aperto erat. Et

Augetur ab Imperio ſuppetiis.

cùm inanitas ventris, ac impatientia cum horis crescereret, vias habent infestas, obvios quosque dispoliant. Hinc nulli tutus Tyrnaviâ exitus: abacta jumenta, hypogæa, stabula, horrea, compilata: nihil vescum uspiam relictum. Haud secùs postea ab hyemantibus factitatum. Et quia neque sic è vastata superiore anno regione satis escarum corraderent, quos conditarum frugum, pecorúmve conscios suspicantur, barbarum in modum excruciatos prodere cogunt. Inde annus hic, fœcundiore Ungariæ solo, in summa caritate erat. Ovum grossô, vitulus, tametsi postremus, florenis quinque, anser unô vænibant. Exaggeratum profectò pretium. Longè exaggeratissimum eo loci, ex quo allati anseres denariis sex, capo-

Sævit circa Tirnaviam in agricolas.

pones unô paucioribus, libra vitulinæ duobus, modius tritici, qui robuſtas bajuli vires fatiget, vicenis, in Poſonienſi foro vendebantur numeroſiſſimo populo ex Germania æquè, ac Ungaria accurrenti ad ſpectandam Maximiliani Ungariæ Coronâ redimiti celebritatem. Dum trans Vagum ab amico milite tam inclementer habentur incolæ, in altera ripa ab hoſtibus Ujvarinô prorumpentibus tres pagi, compilatis facultatibus, & neci datis, quotquot quadrageſimum ætatis annum exceſſerant, deleti ſunt.

Souches Nitriam aggreditur.

Vagi commemoratio admonet, ut percenſeamus, quæ in ulteriore, & citeriore ejus ripa hoc annô præterea geſta ſunt. Souches hoſtem, nè Kaniſæ obſidioni intercedat, quod jam monuimus, diſti-

nere jussus, collecta bellatorum in Moravia sex millia, Imperialium quatuor legiones, duas Brandeburgorum, & Ungaros, qui à Comite Stephano Kohario, Baronibus item Balassa, & Joannelio, nuperis comitiis inter Ungaros cooptato, regebantur, universim sex, ac decem millia Nitriæ admovit postridie, quàm illic Tefter-dar, bellicus quæstor cum quinquaginta millibus Imperialium in stipendia erogandorum, Ujvarinensis Passa, & Mahomet Aga, Agriensis Gubernatoris germanus, aliique Præfecti convenissent. Hos exercitûs Christiani adventus ità perculit, ut quidam in unicum arcis puteum se daret præcipitem, ac redderet inutilem. Et quanquam scalis applicatis, muros illico superari non sint passi, post ex-

au-

auditas tamẽ frequentes bombardarum diſploſiones, eodem die (erat decimus ſextus Aprilis) ſucceasô utrôque oppidô, in arcem refugiunt. Mox à noſtris adversùs eruptiones ponti, arci, molæ agger objectus: Schenkius Cæſaris Tribunus in erigendis cuniculis ſudat: Saxonum Protribunus Branden excubat, nè quis laborem interturbet: pone veterem Eccleſiam in inferiore oppido tormentarius ſuggeſtus erectus: trecentis Ungaris, ut agro Nitriam, & Ujvarinum interjacente diſcurrant, datur in mandatis. Poſtera die injectæ ignivomæ ollæ neceſſitatem nudandi tectis domos attulerunt, & prima omnium inter bellica inſtrumenta decidit haud otioſa. Vix alter dies illuxit, ab Ujvarino venientes caſtra, & fortunam

arcis exploratum, Ungari concidunt ſexaginta captis. Ex his ſeptem, ac decem, cum denis capitibus in aggere ex pertica affixis, protinus obſeſſis triſte ſpectaculum fuêre. Poſt tridui verberationem procubuère muri, & altera olla in Eccleſiam delapſa, Præfectum, alióſque perſtringit. Nec propterea minùs ad defenſionem obfirmatos, volitans rubeum in propugnaculo vexillum, & continuæ, præſertim in ſuggeſtum tormentorum, ſed innoxiæ jaculationes ab arce, indicabant. Solus Ujvarinenſis, ſeu Nitrienſium fortunæ diffideret, ſeu Præfecturæ negotiis revocaretur, noſtras inter legiones fallens, aut, ſi quæ obviàm ſe inferret, perruptu-rus cum trecentis, Ujvarinum demigrare habebat in animo: & jam Nitriâ excedebat, ſed in-

Præfecti Ujvarinenſis comites cædunturo.

infeliciter ; nam pro ponte à ſexcentis Germanis occupatus, ægre cum ſexaginta evaſit. Is dum malè mulctatur in oculis Nitrienſium, Ujvarinenſes domi ſuæ, recens è Mahometano Chriſtianus nomine Lazarus egregiè ludificat. Chlamydem, Cydarim, ac reliqvum Turcarum cultum duobus cum ſociis indutus, Ujvarinum fidenter ſubit, & velut cum mandatis Budam Nitriâ properans, quinque, ac vicenos ſecuritatis causâ comites impetrat. Inde in ſylvam non invitos, ubi commilites deſeruerat, è ſylva Comaromium, atque in carcerem, ſuam deteſtantes credulitatem perducit. Secundâ Maji ſpeciem parantium aggreſſionem in ruinas præbuimus. Dein æquandis foſſis laxiore ruina muros verberare inſtitimus,

Ujvarinenſibus Neo-Chriſtianus illudit.

Nitria deditur.

dum circiter medium Majum, non expectata aggressione arcem Turcæ dederent, pacti, ut sinè noxa excedere universis liceat. Equites ducenti, pedites altero tantò plures, convolutis signis, armísque demissis, à quingentis Ujvarinum deducti sunt. In arce quadraginta tormenta, incendiarii pulveris affatim, annonæ, præter interfectos viginti equos, qui Turcarum mensis pro delitiis inferebantur, perparum repertum. Modica pariter erat in castris, & fortassis à numerosioribus citiùs, quàm à præsidiariis consumenda. Hinc prosperis initiis mora.

Diripitur forum Varadinense.

Dum pro Nitria tanta contentione conseruntur manus, Varadinum, longè maximæ opportunitatis castrum, improviso impetu pene interci-

pi-

pitur. Septimâ, & vicesimâ Maji in oppido arci adsito mercatus erat. Huc animum intendisse hostium quemquam nemo sciêrat priùs, quàm quæstores, suô malô, adesse sensissent. Aderant Szattmarinô Ungari, & ex Kopii legione ducenti ab Ungaris in speciem haud dispares, omnes nempe Ungaricas induti vestes. Dum ab his, mediô forô, oppositis armis repugnantes obtruncantur, Comes Ladislaus Rakoczius fugientium in arcem terga cædebat; quibuscum introrupisset, si eadem mens, idem impetus pluribus fuisset. Sed quia plerique in subigendo oppido distinebantur, neglectâ, aut non observatâ rei summâ, quòd peragendæ opportunitas non quæsita, sed à casu oblata esset, Rakoczius de sublicio ponte pro porta cum

In sublicio ponte occumbit Ladislaus Rakoczius.

cum ſtationariis dimicans cæditur cum quadragenis : in poteſtatem Varadinenſium veniunt duodecim : diſparati, vel neci dati, qui in oppido convenerant, quæſtores, atque incolæ: mercium ſinè pretio vis ingens ablata: ad extremum igni tectis injectô, in oppido frequenti ſuperſuit nihil, præter palatium Paſſæ, duo fana, & pannicum terrorem : Turcis portam cum arce ſervâſſe contentis, in pomerio flammâ, cædibus, & rapinis miſcebantur pro arbitrio victorum omnia. Neque mulieribus,aut infantibus temperatum. Credo, priori annô illatas imbelli ſexui, & innoxiæ ætati per Moraviam, Sileſiam, & Ungariam injurias ultum ibant. Hinc triduo, paucos ſi demas currus, nemo admiſſus Varadinum. Cada-

ve-

vera ſuorum in criptas comportata, humô texerant. Szatmarinenſia, avibus, canibúſque in eſcam objecta. Capita ſex, & triginta contis affixa, Rakoczianum galerô tectum ſupereminebat, fortaſſis, quòd crederent, uti erat, è primoribus unius, atque Germani, in quo fallebantur. A Patre traditas Romanas, Auſtriacáſque partes conſtanter tuebatur. Quanquam enim ſangvini Principum Tranſylvaniæ eſſent innexi, ſtudio religionis, & reverentia in legitimos Principes planè erant diverſi. Nec valuit alius è diſciplina Archiepiſcopi Lipai prodire Ladislaus. Illi Anna Pethû filium Mater in tutelam teſtamento commendavit. Rexit ſupremi Comitis poteſtate Sároſienſem provinciam. Cæſari, Regíque velut fortem in caſtris

ſtris Dux, & miles, ità fidam in aula Cubicularius operam locavit. Ejus ſoror Anna Maria libertatem, amplas facultates, & ampliores facultatibus ſpes, ſe Dei Optimi Maximi obſequio inter velatas virgines addicere Sacramento maluit.

Souches ducit Levam.

Ubi Joannelius Baro montanæ quæſturæ Præfectus annonam in viginti dies duraturam contraxit, Souches curas ad ſubigendam Levam intendit, & ante omnia, pro ſeptingentis Nitriæ præſidio relictis, Bercſinianos Comaromiô Ungaros, bonâ Buechaimii gratiâ advocat. Hoſtes quoque, ut occupata retineant, & alia ex aliis occupent, vim, & artes expediunt. Septingenti Ungaros mentiti ante Semptaviam conſtiterant intromitti flagitantes; verùm oppor-

tu-

tunè à ruſtico detectis, nè pro aditu intra Semptavienſia mœnia ſepulchri in agro Semptavienſi compotes fiant, fugiendum erat. Eodem tempore Souches, dum duabus cum legionibus ad æſtimandam propius Levam, & conſtituendum verberandæ locum prægreditur, Budenſem cum viginti quinque millibus properantem haud procul adeſſe intelligit. Non erat dubium fortunam prælii feſtinantes periclitari velle. At Chriſtiani victoriam aleæ committere abnuerant, quàm à ratione ſibi deſpondêre. Quare præmiſſa versùs ſanctam Crucem impedimenta cum peditatu equitatus, & Souchesius, Budenſis Souchesium hærens in veſtigiis abeuntium ſequebatur. Prope Cſernovicſium pagum geminos inter montes, commu-

Recedit versùs S. Crucem.

munito aditu, qui paucos alioqui admittebat, poterant ferociam acie decertare cupientium fatigare otiosi, nisi commeatûs inopiâ inde extractos ad ultimum pene, sed optandum ob exitum, quod consiliô vitârant, certamen adegisset. Nè quam recedentes cladem ab imminentibus in omnem, pugnæ ocasionem accipiant, Kelerus Protribunus cum Markvicio Centurione, peditum cohorte, & Cataphractorum turma, imminentem montem insidere jussus. Duos intra pontes Grano impositos, nostris ad superioris, Turcis ad inferioris opposita capita tendentibus, stationem occupavit equestris legio Zeisii. Ruentes ferociter in emetientes pontem, sustinebat fortiter Kelerus. Paucos equidem brevi inclinavissent

ſent incumbentia quinque, ac viginti millia, ſed Zeiſius jaculationum fragore periculi admonitus, tum Souches cum univerſis copiis, & tormentis ſuppetias accurrit. Hæc commodùm in collem promota protinus grandem edidêre ſtragem, ad quam cavendam, minuendámve, tanta contentione applicabant ſe ad radicem, atque in faſtigium nitebantur Barbari, Agrienſi, Temeſvarinenſi, & Neogradinenſi Paſſis, voce, & exemplô, urgentibus, ut pene apice potirentur, quamvis collis ſummè arduum præberet acceſſum. At fruſtrà erant, naturâ, & virtute Chriſtianorum locum defenſante. Poſt proſtratum Paſſam cum octo Agis, & millenis partim gregariis, partim nobilioribus, Budenſis remensô Granô, & concrematô oppidulô, à no-

Ad Cſernovicſium pagum Barbaros malè multat.

à novis fodinis appellatô, ad Strigonium, victos reduxit, nostri in arena mille frameas, ac pretiosiores vestes collegêre.

Levam invadunt Christiani.

Ab hac plena gloriæ pugna, victoribus misere cum rei cibariæ angustiis iterum conflictandum fuit. Modicam quietem ad Sanctam Crucem cœperant, dum hæc quoque pervinceretur patientiâ, & conquisitis eduliis. Tum Levam itum. Arx Cæsareis, oppidum Holsato Duci non ampliùs quadriduô restitit. Octingentis arcem, & oppidum dedentibus, impedimenta, & securitatem in itinere Strigonium usque adpromisimus. Illi captivos cùm Ungaros, tum Germanos, tormenta, aliáque plura, quæ in deditionibus passim condicuntur, pa i. Absoluta transactione, terni è castris illico in arcem immissi

sunt

ſunt ad inſpicienda, & conſervanda, quæ Turcæ illuc vel comportârant, vel à Chriſtianis comportata prioribus annis repererant. Novemdecim tormenta ex metallo, vicies mille libras pulveris, totidem incendiariorum funium, dimidio plures plumbi, & ferreorum globorum in rationes retulêre. Sed in anguſtias cibariorum identidem relabentibus gratiores erant mille quingenti modii farris, ac frumenti. Commendatâ fidei Neumeti egregii Centurionis Levâ, & quadringentis præſidiariis firmatâ, exercitus ad Sancti Benedicti conſidet, ad abſtinendum dein Auſtriâ, & Moraviâ, Budenſem, Vagum inter & Albos montes translatus. Reparavit ille Cſermovicſenſem jacturam, evocatis in caſtra ex omni cis Danubium

Turcæ Levam recuperare laborant.

um Turcarum munitione peditibus, equitibúſque. Moldavis inſuper, & Valachis confirmatus, contrà quàm opinabamur, non Auſtriæ, neq; Moraviæ, ſed Nitriæ, ac Levæ imminebat, moleſtâ nimirum viciniâ Ujvarinum liberaturus. Nam illis Nitria, & Leva ad commercia cum Ujvarinenſibus, ad tegendos fodinarum theſauros nobis erant peropportunæ. Nec juvit Budenſem Souchesii error. Is Tirnaviæ ex fluxu alvi decubuerat. Eadem cum peſte major pars tyronum conflictabatur, veteranis intactis. Nihilo tamen ſegniores propterea vix allapſo ad aures rumore de conſilio Budenſis, integri juxta & ægri magnitudine animorum imbecillitatem corporum ſulciente, dant ſe in iter, & præeuntem cum Un-

ga-

garis Stephanum Koharium ad Granum assequuntur, ubi in opposita ripa Turcæ metabantur.

Aderant in castris præter victorem Csernovicsiensi pugnâ militem, equestris Hentzeri, pedestris Haidelbergica, legiones, & Prætoria Turma. Etenim uti opportunè Souches petierat, ità Aula haud cunctanter submiserat subsidia numerosiorem contra hostem, cum metus irruptionis in Austriam lenta consilia non pateretur. Pene, quâ ad Granum adpulêre horâ, ex editiore, & destinationi nostris accommodatiore tumulo à mille sclopetariis dejecti sunt Tartari. Reliquos, dum hi in eo se firmant, neglectâ cœnâ, & quiete, velut protinus pugnaturos, Souches distribuit in

Souches eis occurrit explicata acie.

ordines, quò ad ſequentis diei certamen accendantur. Dein lineas, quanquam etiamtum æger, ſingulari alacritate interequitans optima ſpe implet omnes. Tertiâ noctis vigiliâ, ventus frondes commovens, & pluvia folia verberans, ſtrepitum ediderant imitatione incedentium equorum. Hic excubias in ſuſpicionem adduxit, hoſtes quidpiam moliri; quæ res Duci, cæteriſque credita acceleravit pugnam, & juvit ad victoriam. Nam mox eques juxtà & pedes, nullo repugnante, Granum tranſmiſit, & duas intra horas acies opportunô locô explicata eſt. Latera Germanorum equitum, peditúmque, in duo agmina diſtributorum, tegebant Kohariani, & Balaſſiani. Subſidio relictæ ſunt ſeptem Turmæ Brandeburgorū, & Deſultoriorum, cum

Ejus forma.

cum duabus ſclopetariorum centuriis, quas in montanis è foſſoribus metalli collectas exercitui, cœptô præliô, adjunxerat Baro Joannelli, oſtenſurus opere, quàm utilem Ungaricæ Reipublicæ civem haud pridem ordines legerint, ac juribus Regni donârint. Impedimentorum cuſtodia geminis cohortibus eſt credita. Neque in Turcis numero præſidentibus ulla mora fuit. Statim, ac noſtros conſpexerant, è collibus in æqvum campum ſe demittunt. Alterum cornu ex Valachis, & Spahiis, alterum ex Moldavis, & Tartaris conſtabat. Janiceſari in medio pugnant, & Koharium, atque Capraram primùm invectos, adjuvantibus Spahiis fortiter excipiunt, quin poſt conſertas utrinque pugnaciſſimè manus, retrocedere

Kobarius prior invadit Turcas.

adigunt cum nonnullo damno, & pavore quorundam tanto, ut prius non respirarent, quàm fugâ Nitriam tenerent. Verum tempori prosilientium è sylva Brandeburgicorum Turma Ductore Giokio insistentium cedentibus impetum stitit, & repositi interea Kohariani, Caprarianique in gradum, tantò validiùs cum tribus Kniegianis, & Saxonicis cohortibus ruunt in adversarios, quantò eluendæ, si quæ cedentibus adhæsisset, maculæ, acrior solicitudo stimulabat. Itaque more Leonum, omnem in partem spargentes cædem, repulso Janicsarorum flore, & in dextrum cornu dirigente Caprara (nam Kohariius jam ceciderat) incumbentes, octo millibus Spahiorum, ac Valachorum fusis, cæsisq; victoriam perpetrant, Haisterô

Abiis retruditur, & sternitur.

Resumptâ pugnâ pro stigmatur magna cladeb hostes.

Mol-

Moldavos, & Tartaros in sinistro latere, profligante. Fugientium edita est ab Ungaris ingens strages, edenda haud dubiè longè major, si adfuissent, qui à Nadasdio expectabantur. Eorum in pugna virtus erat usque adeò conspicua, ut etiam à parcissimis Ungarorum æstimatoribus, & alacritatis in persequendis victis, & constantiæ, ac fortitudinis in conflictu haud modicam laudem commeruerint. Germani spem de se, quantam in robore Reipublicæ locamus, luculentè confirmârunt. Souches, Holsatiæ Dux, Balassa, Haisterus, Joannellius, Caprara, intrepidæ virtutis exempla edidêre, Singillatim celebrabantur Levæ Præfectus, quòd tantam hostium vim tantisper infirmo in oppido sustinuerit: Imperator exercitûs,

quòd laboranti tempore adfuerit. Quantâ pertinaciâ in Levenſes muros irruerint, è cæſis bis mille diſcas. Hic rejecti pari alacritate incurrunt in aliud latus. At obſeſſi recentem muri labem opplent, irruentes ſecundò repellunt, & receptus intra oppidum apparant. Nè verò crebris miſſilibus oppidani ab arce interſcinderentur, cumprimis evigilabatur, dum Budenſis obviàm Souchesio, quem in propinquo intellexerat, eundum cenſeret, nè à fronte, & tergo concludatur.

Koharii laudes.

Ex Germanis, & Ungaris non plures quingentis occubuerunt. Hos inter Stephanus Koharius, prima aggreſſione egregiè officiô, vitâque ſunctus eſt. Vir à ſe, & à familia, incorruptæ tot civilibus diſcordiis fidei in Reges cla-

clarus. Petrô Kohariô erat genitus, cui Bethlenius in ergaſtulum retruſo ademit libertatem, donaturus ampliſſimam, ſi ſuas complecteretur partes; fidem in Auſtriacam Domum adimere non potuit, de qua cum captivo multis certabat. Hanc cum cæteris virtutibus ſibi à Patre relictam, & tranſmittendam poſteris putavit Stephanus. Viri eximiam in Deo fidentiam, & intimam cum ejus voluntate conſenſionem indicat gnome: *Dat Deus, cui vult.* quam effecit propriâ. Reliquit quatuor liberos mares, quorum prior pariter Stephanus, Patre, & Avô haud minus pugnax, liberalitate in res ſacras, & conſtantiâ Regiis in partibus Patre, Avôque ſuperior. In loco prælii, quod Patrem ſuſtulit, in perennem rei memoriam, ſacram ædem ex-

ſtruxit, cum adſcripta veſtibulo, quam dixi, gnome, & verſibus:

Ad Levam dextre Stephanus pugnando Kohari,
Pro Patria moritur, Cæſare, prôque Deo.

Numerus cæſorum hoſtium.

Hoſtium multi è ſylvis protracti, cæsique. Nam Souchesius quemquam captum ſervare vetuerat. Servati tamen ſunt, ſed ut acerbiore fato finiant, ſeptingenti Moldavi, & Valachi. Luent etenim, uti dicetur, in furca ſcelus, quod nunquam admiſerant. Reliquis cum utroque Principe averſatio nefariæ juxta & exitiabilis ſocietatis à prælio reditum converſis ſignis in Patriam impoſuit. Non arma ad Tibiſcum objecta, nec allata à Vezirio imperia, ut redeant, pervicêre. Quingenti Janiſari inter arbuſta ab Holſatiæ Duce

Valachi, & Moldavi ſuperſtites domum redeunt.

ce oppressi: eorum ductor à Barone Metermichio confossus: ipse Budensis sauciatus: universim octo millia ferrô absumpta. Victores ternis Turcarum, Valachorum, & Moldavorum castris, variâ prædâ ditissimis, centum signis, mille curribus annonæ cum jumentis abunde potiti. Fuisse gregarios, qui decem millia Imperialium inde abstulerint, fama erat. Turcæ cladem Georgio, Moldaviæ Vajvodæ tribuebant. Ea propter redacto in ordinem, Scheidiam quadringentis Imperialium millibus quæstum variis ex mercibus facere solitum, salutârunt Principem.

Capta opima præda.

Dum hæc geruntur, Leopoldum Ratisbonâ reducem, & è sinistris, contrà, quàm sperabatur, ad Kanisam, atque ad Neo-zriniam successibus

anxium, Levensis victoriæ nuncius non mediocriter recreat. Captam inde lætitiam, paulò pòst auxit altera ad Arabonem pugna, quantò fortuna jam huc, jam illuc inclinante, periculosior, tantò fructuosior exitu. Quo peracta est die, ad notatum prioris anni strage Parkanum, cum eqvitibus mille, & peditibus Brandeburgis, ac Montforcianis, Tribunum Maxfeld, & Holsteinium præire jussos, Souches cum Mersianis secutus substitit ad dexteram pontis, & valli. Erant Parkanenses nostris cum Maxfeldo præcursoribus virtute impares, superabant tamen numerô, & loci opportunitate. A Strigoniensibus insuper juvabantur tormentis. At ubi in structum celeriter industriâ Holsteinii suggestum protractæ sunt machi-

Victores tendunt Parkanum.

Parkanenses stationem deserunt.

chinæ, & aliquot Turmarum ſubſidium Maxfeldus, os maxillæ noxia glande trajectus, accepit, quanquam multos ſuorum amiſiſſet, procurrentes à vallo centum quinquaginta Janicſaros fudit, tres naves plenæ viris merſæ, pilarum grando in aggere neminem conſiſtere paſſa. Inde inter obſeſſos trepidatio, & alterâ ante noctem horâ, poſt injectum tectis ignem, fuga Strigonium cum ſedecim vexillis. E captivo mille quingentos fugiſſe comperimus. Vacuum dein Parkanum Chriſtiani ingreſſi, disjectô vallô, geminam palorum ſepem, pontem, ac cætera redegêre in cineres.

Valachi, & Moldavi aguntur in ſurcam.

In hunc modum excisô, quê nobilis tot Ungarorum ſangvis funeſtârat, locô, non extincta triſti memoria, pœnas violatæ fidei ex iis, qui Kiskomaromi-

enſes, tegendis, dum abirent, attributi, necaverant, repetere placuit. Septingenti ad Levam capti, quanquam perfidiæ expertes, quòd perfidorum forent ſocii, in furcam acti, in oculis Strigonienſium cum religatis cuivis è collo ſingulis manualibus ſclopis pependêre. Miles hauſto ſangvine ferocior, ſitientiórque, & intellectâ ad Arabonem victoriâ, gloriæ æmulatione accenſus, inde Ujvarinum confeſtim duci avebat. Alia mens Ducibus, alia Cæſari. Stadio ferme ab Ujvarino Guttam inter & Comaromium victoribus indulta eſt quies. Quanquam hæc quoque quies nimiùm operoſa eſſet. Nam identidem ad excludendas Ujvarino ſubvectiones percurſabatur affuſus circum campus, abacta latè peco-

Souchesii exercitus prope Guttam metatur, & inde percurſat agrum Ujvarinenſem.

cora, & nè quid lucelli causâ cibariorum agreſtes hoſtile in oppidum inferant propoſitis gravibus pœnis vetitum. Quarum metum quoniam apud viles animas modici compendii ſpes compreſſit, tricenis gula laqueô fracta, quadragenis nares, atque aures truncatæ. Haud modicam propterea Ujvarini annonæ penuriam, quin extremam propè neceſſitatem extitiſſe in confeſſo eſt. Siquidem ad levandam exercitum ab Arabone, qui Jaurino admoveri potuit, accurrere oportuit, & Strigonii æquè, ac Ujvarini edita ſunt, velut oblata ex inſperato deploratis rebus gaudendi materie, tormentorum diſploſione lætitiæ ſigna illico, ac famelici compotes facti commeatûs. Interea Souches, quô, non liquet, infortuniô gratiæ eximi-

is partæ promeritis passus deminutionem apud Cæsarem, pridie Idus Augusti Viennam abit traditis Heistero copiis. Non diu post rursus init gratiam cum Cæsare, ad extremum tamen in exilio Bohemicis in fundis extabescet. Schulsbacensis renunciatur Mareschallus. Hinc Vezirio Ujvarinum, inde Montecuculo ad Vagum suos promovente effluit Augustus cum parte Septembris. Opinio erat illum in Moraviam, aut Nitriam intendisse animum, hunc montanas tegere, aut si sors ferat, cum hoste rursus præliô decernere velle. Ut quid enim rem tormentariam curatius apparâsset, Kusenichium ad infestandum hostem dimisisset, Heisterum cum pluribus aliis ad exercitum accivisset, ipse adeò cum copiis ultra Vagum iisset?

At

At ex insperato pacem coaluisse rumor exoritur. A procursoribus intercepti aliquot Turcæ, mirantésque finitô bellô hostiliter secum agi primi id insinuârant. Alii fidenter castra adequitantes postea confirmârunt. Sed utrique risu accepti, quoad Remingerus, quod res erat, Montecuculum non docuit.

Non tantùm à dissoluta Kanisæ obsidione, atque ab eversa Neo-zrinia, sed post profligatum ad Sancti Gothardi hostem Remingerus per honestam pacem abrumpendi belli ocasionem à Cæsare jussus est quærere. Ille morem gessit. At in celebrandis concordiæ emolumentis, & explicandis reducendæ modis consumptâ nequidquam facundiâ ante conflictum, à sermone de pace post conflictum deditâ ope-

Pax coalescit.

râ

rà abſtinebat. Vezirius ex oppoſito priùs ſucceſſibus tumidus, & idcirco mentionem pacis ad aures non admittens, jam proloqui de reducenda verecundabatur, nè domitam ſuperbiam fateatur. Ut Remingerus abruptam telam texere redordiatur, unicè habebat in votis. Plura enim erant, quæ incitarent, ut finem bello imponat. Si cum circumjecto tractu ſolum Varadinum, & Ujvarinum retineret, magnũ belli fructum capiebat. Nè Poloni, Moſci, Galli, cæterique Principes Chriſtiani ſociatis cum Auſtria, & Ungaria armis ab omni parte latiùs, quàm iis expediat, Imperium prolatantem toto virium robore aggrediantur, vereri potuit. Et certè Romanus Pontifex in colligandis fœdere, atque exſtimulandis in Orientem, ope-

operæ multùm ponebat. Cretense quoque bellum negotii haud parùm facessebat Sultanno. Demum famæ, quin suo capiti consulebat, sancita pace Vezirius. Nam si infestam deinceps, qualem ad S. Gothardum expertus, fortunam haberet, & ex iis, quæ eripuerat, rediret quidpiam ad Dominos, partâ belli gloriâ, & vitâ periclitabatur. Siquidem Turcarum moribus digna Ducum morte crimina sunt & sinistri casus bellorum, & virtus hostium. Itaque victus Remingeri de pace silentio monet, ut Præfecti familiaribus colloquiis contando, quam ob rem jam de pace taceat, qui prius facundo sermone de eadem disserebat, explorare insistant, an desistere à bello Christianis propositum sit. Reddidit Remingerus, Cæsarem

ta-

tametsi victorem, pacem æquis conditionibus non aspernari. Eô intellectò, in pago Vasvár, qui Araboni ex adverso Kermendini assidet, pax, sed quæ non priùs, ac mense evoluto, rata sit habenda, in has leges coaluit. Ab decima Augusti in viginti annos induciæ sint. Quibus eatenus vixerant, etiam deinceps vivant juribus, ac moribus Transylvani. Ex eorum arcibus deducatur uterque miles, & Rakoczii, Keminiique hæredes Transylvaniâ abstineantur in perpetuum. Szikelhidensem agrum Apaffius possideat; arx diruatur. Varadinum, Fanum Sancti Jobi, Karansebesinum, Lugosium Rakocziis, Ujvarinum, & Nogradum Ungaris, erepta sint in jurisdictione Turcarum. Christiani, si libet, Levam, Nitriam, Semptaviam, Gut-

Leges pacis.

Guttam communiant; novam arcem ex alterutra Vagi ripa excitent; Tokainum, Szatmarinum, Ecſedinum, Nagybanyam, Kaloum præſidiis firment. Exercitus à finibus removeantur, inhibeantúrque incurſiones in alieni juris terras. Demum ſolemni legatione, ac donis pax utrinq; firmetur.

Hæc concordiæ ratio neque Principibus Imperii, neque Ungaris probata eſt; quòd cùm utrique pars belli eſſent, neutris conſultis, quin conſciis inita ſit. Singulatim Ungari quiritabantur: annis decem, & octo ad centum antea Regis, ac Regni conſenſu perlatam, ac inde uſque huc juratam à Regibus, & confirmatam novis ſanctionibus, exſtare legem, ut *Regia Majeſtas utatur conſiliò Ungarorum, ſive de pace, ſive de induciis agen-*

Nec Principibus Imperii, nec Ungariæ Ordinibus probatur hæc pax.

agendum sit. Secus nunquam actum à Divis Regibus hac lege perhiberi: ipsum adeò Leopoldum, cùm administrationem Regni capesseret, diplomate cætera inter spopondisse, *quando de negotiis Regni Ungariæ agetur, ea se per Ungaros* tractaturum, ac consultaturum: & si nulla exstaret lex, quid æquius, ac nè de juribus, libertate, & patrimonio Ungarorum, de ipsis adeò Ungaris decernatur sinè Ungaris: hæc clancularia pacis compositione insuper habita esse omnia. Addebant utendum fuisse Galliæ, & Germaniæ benevolentiâ, dum recuperaretur Ujvarinum. Amori Ungarorum submissis rarô exemplô, tam validis auxiliis, si Budæ admota essent, Ungariam barbaris absolvi potuisse, & debuisse. Nunc quid? Ujvarinô,

No-

Nogradô, Varadinô ad vetera ſpolia Turcis permiſsô, nullum Ungariæ angulum ad tributa, rapinas, cædes, non patere. Ujvarinenſem Præfectú Moraviæ uſque ad fines ſuam jurisdictionem jam porrigere. Pacem, quæ cum tantæ opportunitatis caſtris tot terrarum ſpatia hauſerit, nobis bello infelici abominabiliorem, hoſtibus ſecundo optabiliorem videri.. Hæc uterque Zriny; hæc Veſſelinius, aliíque, quin ipſe Lipaius Archi-Epiſcopus, ſi quis Leopoldi reverens, ac perſtudioſus. Nonnulli inſuper optimi Regis ſtudium pro pace, malignè interpretabantur, vociferantes: hac ratione paciſcentem, quid niſi ad ſolutam legibus in mutilo Regno dominationem aſpirare? Vicem Auſtriacorum anxio, Ungarorum ſalutem curæ

Inconciñæ, & improbæ quorundam querimoniæ.

non

non esse, ærumnis non commoveri. Dum suæ Germaniæ bene sit, parùm solicitum quid Ungariâ fiat. Jacturâ Ujvarini, ac Nogradi, vicinæque plebis jugô ubertatem illi, quietémque mercatum, & quò pacis otiô diutius perfruatur, alias ex aliis Ungaricas Provincias libidini barbarorum paratum permittere. Ausi etiam petulanti lingvâ demortuos lacessere, conviciabantur Ungariam Austriacis Regibus universim fuisse vænalem: ejus argentum, & aurum ad redimendam Bohemis, Moravis, Silesiis quietem erogâsse: validiora tot præsidia Turcis, dum imminerent Austriæ, velut offas, in quibus retardentur, objecisse, demirantibus Ungaros Turcis, tantam Patriæ mutilationem, pro Germaniæ incolumitate æquô animô spectan-

ctantes. Inepti criminatores, quasi Augustissima Domus tantò imperaret latiùs, quantò plures, atque ampliores provincias in Ungaria barbaris cederet, aut Germani hoc liberiores metu, & remotiores à periculo degerent, quò propiùs sitientem Christiani sangvinis hostem admitterent. Ad querimoniarum iniquitatẽ accessit maleficium longè atrocissimum. Hominem, Remingero à secretis, pacis tabulas ferentem ad Cæsarem, ut adjectô signô, ac nomine ratas habeat, equô, ære, tabulis exuunt.

Cæsar cùm Imperii Principibus, tum Ungaris facturus satis, respondit: nè morâ instauratis inimicorum viribus elabatur honestæ pacis ocasio necessariam in sancienda celeritatem inhibuisse, quin ad pro-

Respondet Cæsar Principibus, & Ungaris.

prolixas Imperii deliberationes de eadem referatur. Neque enim ſpes erat, ut contra morem, Principes adutum, ſeu de modo pacis, ſeu de proſecutione belli mentem aperiant, & in eandem ſententiam coeant. Alioqui pars, tempus ſuppetiis decretum defluxiſſe, pars nisi denuo decernantur, ad præbendas neminem obſtringi dicebant. Ad conſtitutos autem ab Imperio Viennâ regendis auxiliaribus militibus negotium pacis non pertinuiſſe. Annô inde tertiô Ungaris pro Comitiis conditiones, in quas pax convenit, expoſitas, expensáſque eſſe. Pacem geminæ non tam humanis viribus, quàm peculiari auxilio Dei relatæ victoriæ uberem fructum habendam. Pro Ujvarino excitandum aliud haud minus accommodatũ

tuen-

tuendis Christianis propugnaculum. Jacturam Varadini Transylvaniæ libertate sarciri.

Et verò Cæsarem haud leves causæ ad abrumpendum bellum incitârunt. Galliæ namque & Imperii subsidia parum admodum pollicebantur. Quippe à Principibus submissa erant semper longè infra promissa, eadémque multis circumscripta exceptionibus. Unde offerebantur prætextus retractandi, quod addictum, revocandique, quod præstitum. Superioris anni Autumnô flagitata, ante labentis æstatem non aderant, & quidem magna plurium cum tergiversatione. Definitus fuit quibusvis armandorum numerus. Attamen alii neminem, alii, quot libuit, armârunt. Indignati tantam licentiam cæteri idem se facturos minabantur. Plura qua-

Causæ, ob quas Cæsar pacem amplexus est.

dragenis decreta pugnatorum millia, ultra duodena tamen in castris rarò visa, & hos cœli novitas in dies minuebat. Nec mirum ab afflicta Svecicô triginta annorum bellô Germania Turcicum tam miserè administrari. Quid? Principes incrementa Cæsaris, Cæsarei Gallicas copias, adeoque sua auxilia suspectabant. Colignii hybernorum extra Silesiam aspernatio, & studium miscendi consilia cum Poloniæ Regina, Germanis utiq; haud profutura, pro eodem habebantur. Moguntini adversùs Erefordiam tentamenta, dum ille Gallicas, hæc Saxonicas arcessunt suppetias, quid? sanè media in Germania tumultum portendebant. Austriacæ Provinciæ Svecicis, Turcicis, & Ungaricis bellis tot annos inquietatæ nullam de se

spem

ſpem faciebant. Alioqui munitionibus Orienti præſtructis facilè quadragenis viros, viris annonam, & ſtipendia ægre ſufficiebant. Quibus nisi ad aſſem præbeantur omnia, in ſeditiones Cæſari perinde ac Imperio noxias præcipitabunt, quas longum tempus non reparaverit. Ungaricus aër tyronibus gravis numeroſa identidem requirebat ſupplementa, ſimul à dandis militiæ nominibus abſterrebat. Bacchus verò quanquam alliceret, & prenſaretur, nihilo ſecus, quàm aër, & hoſtis advenis iniqvus erat. Perpetua Regem inter & Ungaros diffidentia nihil boni productura ſperabatur. E quibus conficiebant de facili eventurum, ut continuatô bellô Cæſar à Gallia, & Imperio deſertus, opponatur ſolus Turcis, quô nil optabiliùs Barbaris. Ve-

rùm tametsi Gallorum perpetua forent subsidia, ab Imperio alii aliis succederent bellatores, Cæsar numerô, & virtute florentes haberet in stipendiis legiones, nihil egregium confici poterat, quoad omnes unius Ducis non regerentur spiritu. Id verò fore spes se nulla dabat. Hinc quanto copiosiores affluerent copiæ, tantò frequentiores discordiæ, quin rixæ, & validiores gerendis rebus obices metuendi erant. Eô adhuc annô debellari potuisse opinabantur nonnulli, sed quàm variante fortuna, & ancipiti exitu ad Arabonem vicerimus, immemores. Nec certæ pacis fructus rectè posthabentur incertæ victoriæ, præsertim dum semel victis ampliùs adimitur, quàm sæpius victores sperandum de hoste habeant.

Seu

Seu victoria, seu clades Christianum exercitum absumeret, (nam utrôvis modô affligi poterat) quid inhibuisset, nè in hostis potestatem universa Ungaria transeat, & Germania pervastetur.

Hæc erant, cur Cæsar necessitate susceptum, summa voluntate, præter opinionem, finierat bellum. Ab Ungaris tamen alterô primùm pòst annô, & neque tunc, nisi haud modica cum repugnantia pax comprobata, nec eâ, quam publica fides requirebat, sanctitate coli cœpta est. Rotalius jussu Cæsaris illico paucos milites fidei constantes deduxit Transylvaniâ. Exultantibus, an mœrentibus accolis Szikelhida eversa sit, incertum. Quamvis enim propugnacula sint à populationibus perfugia, & hoc nomine demolitionem

Ungari nihilominus eam vitare habere detrectant.

Diruitur Szikelhida.

propugnaculorum, & proditionem Patriæ perinde non immeritò æstimaveris, bellô tamen accolæ ob suspiciones non minùs ac hostes inde arcentur, qui pace famularem militi, & præfectis præstant operam, haud aliter, quàm heris, nisi quòd miles, ac Præfecti severiùs officium exigant. Quamobrem collabentibus propugnaculis, imminutos Præfectorum, ac militum numeros eodem, quô libertatem à parte jugi, animô imprudentes intuentur. Miles Germanus Transylvaniâ exemptus Szatmarinum, Kaloum, Tokainum, Onodium, Levam est impositus.

Germani extrahuntur ex Transylvania, & per Ungariæ præsidia distribuuntur.

Vehementer pupugit ea res Ungaros, confecta pace vim, quin ad conciliandam adhiberentur, illatam juribus, inductô exterô præsidiariô, gemina-

Ægre id ferunt Ungari.

natam quiritantes, honoréſque tot Præfecturarum, ac ſtipendia popularibus interverſa indignè ferentes. Nî maturè provideamus, inquiebant, ultra Tibiſcum haud reſiſtet Germanus, ſed ad occupanda paſſim munita loca gradum inde faciet, elidetur veteris regiminis forma, modum, qui iis cunque placebit, Ungariæ rebus imponent; certè peregrinus ornatus, mores, dominatio pro lubedine tot alienigenas conſequetur. Huc reſpiciebant Caſſovienſes, aditu Comiti Franciſco Csakio ad ſe intercluſo. Polonici collimnii cura, & Caſſoviæ Præfectura ei poſt Homonai obitum demandata eſt. Comes Starembergius ad inducendum in poſſeſſionem novi Magiſtratûs ibat. Illi utrumque adductis portis excludunt, negotia Re-

Comes Franciſcus Csáki renunciatur Generalis Caſſoviensis.

gni nonnisi ab indigenis rite, atque ex ordine absolvi fremunt. Sub id temporis Comiti Paulo Eszterhazio pariter pro Adamo Forgachio etiamdum superstite, & nuper custodiâ exempto, delatum est munus tuendi fines montanarum Civitatum cum appellatione Generalis partium antemontanarum. Comes Buechaimius vitâ, & Comaromiensi Præfecturâ cessit. Viro supra claritudinem generis, Sagi, Togæque decora abunde aderant. Comaromium Souchesio, diuturnâ militiâ, Parkanô excisô, recentibus victoriis, Nitriâ, ac Levâ expugnatis, clariori creditum, sed quod diu non administrabit.

Comes Paulus Eszterházi partium antemontanarum.

Jam tum Ungarorum conjurationem, quæ aliquot post annos detecta, suboluisse quibusdam memorant. Id enim-

Suspiciones de conjuratione Ungarorum.

ve-

vero creditu haud eſt difficile de introſpicientibus propiùs animos nonnullorum ferociores, ad rem attentos, dignitatis retinentes, & quamvis injuriæ ſpeciem ulciſci ardentes. Vidiſſes mœſtos, & cogitabundos, frontem contractam, minaces oculos, abruptum ſermonem, vel torvum ſilentium. Unde pronum erat conjicere, ingratæ pacificationis memoriam ægrè poſituros, & præpoſterô conſiliô paratiores experiri extrema, quàm ſuæ domi intueantur exteros Præfectos, & militem ex alieno, ùt ajebant, diteſcentem. Quæ fuit cauſa, cur Cæſar, hac intempeſtiva interceſſione anxius Vieñam complures Procerũ evocaret. Nullo operæ pretio pro eo Lobkovicſius eximebat ſiniſtras opiniones. Reputarent, monebat, in tuto col-

Cæſar per Lobkovicſium frustrà cum Ungaris de probanda pace agit.

locatam Transſylvaniæ libertatem; unde magis, ac Varadinô ſuperam Ungariam Turcarum injuriis futuram fuiſſe expoſitam: Szatmarienſem, & Szabolcſenſem provincias, violentiâ Rakocziorum ab Ungaria avulſas, recenti pace reſtitutas ſuo corpori: Germanum in Tibiſcanis munitionibus pro ſalute Ungarorum adversùs vim Varadinenſium excubare: Pacem ſinè eorum conſilio, conciliatam dici non poſſe, quibuſcum de conditionibus, in quas hoc annô conventum, tertiô hinc actum ſit. Atqui de tuendo Nogrado, opponebant Proceres, de muniendo Ujvarino circumductâ novâ foſsâ, non de permittendo hoſtibus, de vindicando, non de abdicando Varadino tum actum: ſinè authoritate Regni bellum nec geri,

nec

nec finiri fas, non vicum alienari, pacem nullam esse. Infectô itaque negotiô remeaturi cum exeunte anno maturum existimârunt Sacrum Diadema securitatis causâ Viennæ depositum in Patriam reduci. Placuit Cæsari cœlestis pignoris desiderium. Itaque Nicolao Palffio nuperis Comitiis nominato Coronæ conservatori, decimô quartô Calendas Januarii in manus traditum, atq; ab eo paulò pòst Posonii suo in loco repositum est.

Sacra Ungariæ Corona refertur Viennâ Posonium.

In partitione hybernorum Bohemia Gallis obvenit. Ii Silesiam maluissent. Regi, ut penates repetant, visum. Colignius, Fevillada, & potiores quique antè non dedêre se in iter, quâm Zrinium suæ domi salutarent. Aliquot dies exquisitis urbanitatibus, magni-

Colignius & reliqui nobiliores Galli salutato domi suæ Zriniô, redeunt in Franciam.

ſicis epulis, ludíſque inter ſymphoniacos choros hoſpites recreavit. Ab amico divulſi amiciſſimè, per Alſatiam Cæſareo ſumptu tendunt in Franciam, relictô in Zriniana domo ſui deſideriô, & militari munere equo præcellenti.

Ingens ſolitudo Tirnaviæ.

Mox à Parkanenſi clade belli turbo literas, ſacra, & profana ex æquo confudit. Princeps Ungariæ Athenæum triſti ſilentiô ſquallebat, Academicis, ùt ſors tulit, diverſa in loca dilapſis. In vicinam Germaniam, atque Poloniam, quin Bavariam Religioſi Societatis JESU literarum causâ commigrârunt. Virgines ſancta Clara auſpice cœleſtem in terris vitam ducentes Hradiſchium in Moraviam Tyrnaviâ deductæ. Quondam Collegium Sacerdotum Strigoniô Turcici belli tempeſtas iſthuc com-

compulit, in præsentia penitus distraxit, privatô consiliô sparsim quisque salutem quæsiêre. In urbe, quam jocô à Cleri frequentia parvam Romam vocant, unicus cum exiguo populo Sacerdos restitit. Cum anno, quem exequimur, afflictæ Reipublicæ secundior fortuna aspiravit. Hyberna in Sclavoniam expeditio cessit è voto. Æstivæ principium, quanquam non esset optabile, prospere admodum, quod vidimus, finiit. Ab Heistero Tyrnaviæ commorante, & dispositis circum stationibus animatæ Musæ desertas sedes repetiêre. Secuta est Theologia de moribus. Vix recuperatâ Nitriâ, sacra suum in locum reponere insistit Archiepiscopus, atque inprimis ad celebrandam è præscripto Canonum pietatis officiis Tirnavi-

Canonici Strigonienses revocantur Tirnaviam.

onſem Sancti Nicolai Eccleſiam ſeverô imperiô diſperſos Sacerdotes revocat. Metui ab Ujvarinenſibus, ſi quos ab adeunda Tirnavia abſtineret, metum opponit, interminatus fructus Sacerdotii negandos abſentibus. Aliquot ex iis vacuas Curionibus Paræcias inſederant ad miniſtranda Sacramenta, & explanandam Chriſtianam doctrinam. Szatmarinum Cæſar publicorum negotiorum causâ Martinum Kaſzonium allegârat. Unde virum prudentiæ, fideíque conſpicuum æſtimare licet. Ipſe Archiepiſcopus Gregoriô Lancſari, Tornenſium Archidiaconô, utebatur ad regendam Viennâ Diæceſim. Hos omnes perlatæ à ſe legis vinculô ſolvit; & nè quid in Clero deſideraretur, quod per ſe præſta-

ſtari poſſet, in Collegio Poſonienſi Joannem Kalmanczaium ad Lectoris gradum promovet; in Strigonienſi Jacobum Hasko, magna cum laude potiturum Sacerdotiô in Vág-Ujhely, quod Præpoſituram vocant B. Mariæ Virginis, ſtatuit Canonicum. Ratam demum habet voluntatem Franciſcæ Kain, quæ elatô virô, Regni Palatinô, Paulô Palffiô, Curionem Gajarienſium nominaverat Bajmoczienſem Præpoſitum. Superiore anno ſcripſimus deſignatum Varadinenſi Eccleſiæ Antiſtitem Georgium Bárſony. Is, Turcis cum Varadino univerſam Diæceſim, & ſacros fundos obtinentibus, pares ſuſtinendæ dignitati ſumptus credebatur non habere. Agit nihilominus Lipaius apud ſummum Pontificem, ut bonâ ejus gratiâ initie-

Plures ad altiorem honoris gradum provehit Archiepiſcopus.

Agit, ut Georgius Bárſony conſecretur in Epiſcopũ.

tietur, testatus Sacerdotium Scepusiense Præposito annuum censum Imperiales mille sufficere, quibus frugalis Antistes cum familia non indecorè ali queat. Eâ causâ Francisco Szegedio Vacziensium Episcopo, & Præposito Posoniensi, Georgio Borsiczkio ejusdem Collegii Cantore, & Canonico præsentibus secum, Georgium Romana dogmata è formula Tridentini professum significat Apostolico ad Cæsarem Legato, Cardinali Caraffa. Et probatum est summo Pontifici judicium Archiepiscopi. Nam Georgius anno insequente initiabitur.

Testamentum Susannæ Gyulaffiæ

Mors Susannæ Gyulaffiæ pauculis Catholicorum in Transylvania Ecclesiis, ab hæresi ornamentis, & dote dispoliatis, Veselinianæ item familiæ

hac

hac tempeſtate omnibus incommoda, accidit peropportuna. Nullos Franciſco Liſztio, florentis Baronum familiæ poſtremo, liberos genuit. Hinc Georgio Laſzloffio, à viro præmortuo in filium, Liſztiam familiam, & nomen adoptato, Poſonii domum; Paulo Veſſelinio nepoti omnia in Tranſylvania bona, ſecundo Calendas Martii teſtamento legavit ea lege, ut tria florenorum millia, ad inſtauranda Szillagyienſe, Cſékſomlyoienſe, Albenſe, ac Monoſtorienſe templa erroget. Adoptatus hic Liſztius annô milleſimô ſexcenteſimô ſeptuageſimô nonô cum inſtaurata Liſztiorum familia miſere in carcere finiet.

Mors Nicolai Eſzterhazii.

Caſus Ujvarini plures circùm, velut commeminimus, arces proruerat. Bujakienſi præerat cum nomine Capitanei

nei Baro Nicolaus Eſzterházi, vir ſingulari robore, nec paucis velitationibus de Turcis victor. Vix incolumem inde eduxit militem, dimittere cogitur clavum Veteroſolienſis Provinciæ, cujus fuit perpetuus Comes, & vivis placidâ morte eximitur. Vixit tamen in quinque liberis: Wolffgango, Antonio, Catharina, Agnete, & Helena, quos ex Agnete Prinia, quinto poſt virum anno demortua, ſuſcepit. Vivit hodieque in Nepotibus. Utinam perennet.

Exſurgit in Scepuſio ædes, ſacra honori S. Roſaliæ.

In Scepuſio paucis à Capitulo paſſibus honori Sanctæ Roſaliæ ſacra ædes exſurrexit Joannis Betlenfalvai è Scepuſienſi Collegio Sacerdotis impenſis. Volvebat animô ſævitiem peſtis annô milleſimô ſexcenteſimô ſexageſimô ſe-

cun-

cundô, ſtragémque hominum, poſt geminos è Societate Jeſu Sacerdotes hauſtô inter miniſtrata decedentibus Sacramenta venenô extinctos, ſinè Sacro-Sanctis ejuſmodi præſidiis cum morte luctantium, quòd locus, vel miniſtri ad conficienda idonei deſiderarentur. Nè Deus Sanctæ Roſaliæ interceſſione placatus mortalibus flagellum id genus adhibeat iterum, arbitrabatur liberalitate ſibi conciliandam. Eô animô pro vivis, & mortuis facturo nova in æde rem divinam alternis menſibus; Idibus item Julii Sanctæ reperto corpore; quartô Septembris annuâ ejusdem memoriâ, & Dominico quarto à Penteco-ſte conſecratione loci inſignibus, litaturo majoribus hoſtiis cenſum inſtituit. Sin Deo

ſu-

ſumere de nobis pœnas immiſſa peſte viſum foret, accommodum ad res divinas ægris ſeorſim à valentibus locum parabat. Hodiedum exſtat, & populi concurſu ad comprecandum, ſacríſque dictionibus celebratur; eſt autem voluntate Fundatoris in jurisdictione Sodalitii à Matre morientium nuncupati, quod Societas Jesu gubernat. Fuit hic annus Ungariæ fame haud minùs, quàm bello, vicinis provinciis verò mortalitate noxius.

B. V. MARIÆ beneficia.

Tot inter ærumnas probioribus ſingulari ſolatio fuit, quòd intelligerent curæ ſe eſſe hæreditariæ Ungarorum Patronæ, Dominæque, Virgini MARIÆ. Conſecratæ enim ſibi Gentis calamitates velut indolere, ſecundis rebus exhilarari, atque ad juvandam, ſi in-

invocetur, promptam se Patakini manifestis signis testata est. In arcis sacello pro ara, quibus Csesztokovii in Polonia lineamentis expicta, colebatur. Hæc icon sextâ Februarii mœrentium in modum sinistrum oculum demisisse, postridie nonnihil adaperuisse, tertiâ uti aliàs peramœnè prospicere gravibus viris inspectantibus visa est. Id porrò contigit eo ipso triduo, quo quinquies mille Turcæ in iter se dabant ad pervastandum circumfusum Patakino tractum, sæviendo non congenitæ duntaxat crudelitati obsecuturi, sed dolorem quoque suum ex accepta ad Eszekinenses pontes clade à Zrinio ulturi. At enectis altero die frigoris acerbitate centenis mutârunt propositum, fassi Deum in gratiam Christianorum suis de-

ſtinationibus interceſſiſſe. Agnoverunt etiam Patakinenſes beneficium, & quæ in icone viderant, quæque auditione de fruſtrato hoſtium tentamine acceperant conferentes colliqueſcebant gaudio è comperta Dei Genitricis vigilantia pro ſua ſalute. Nec modicum paulô pòſt ſumpſit publica lætitia incrementum, ubi fama percrebuit, in vicino Binyæ oppido infantem prolapſum in puteum, præfocatúmque aquis recepiſſe vitam mox, ac à Matre Genitrici Dei commendatus eſt. Rei geſtæ in oculis mirantium Ortodoxorum juxta & Heterodoxorum acceſſit pretium, quòd nôſſent omnes mulieris mores cæleſti favore haud dignos. Præter nomen Romano-Catholicæ nihil admodum in ea probum reperiſſes. Atque id

ipſum

ipſum præbuit ocaſionem, ut ſupplex exaudiretur. Nam memor anteactæ vitæ, non modò ut in liberis, ſed corpore, & animo, ſeverè caſtigetur promerentis ingemuit, & meliora ſpondens fidenter opem à Matre Miſericordiæ flagitavit. Nec immemori collatum auxilium poſtea comonſtravit. Nam illico retractatione ſeria, & ingenua pro ſacro tribunali enarratione peccatorum deterſis Talyæ maculis animæ, Chriſtianam verè vitam auſpicata, Mariæ nomini mancipata in perpetuum vixit. Haud minoribus cum malis conflictamur. Majora commeruimus ſupplicia. Eandem cum Deceſſoribus habemus Patronam, ac Dominam Virginem MARIAM. Eadem hodie, quæ unquam aliàs, ei ſunt pie-

ta-

tatis viſcera: eadem afflictos juvandi facultas, & promptitudo. Si errata vitæ doleamus, ſi Patronam piè veneremur & cum fiducia precemur, uti volens clientes ſuos ex hoſtium inſidiis, quæ una poteſt, erripiat, & peſtilentiam, cæteráque mala ſubmoveat, præſentem benigniſſimæ Dominæ opem procul dubio experiemur.

H.K. RECHTSANAD.
BIBLIOTHEK
IN HANEHAU